



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de  
Coloniæ Agrippinæ**

Capita Libri II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**



# INSTRVCTIONIS SACERDOTVM,

LIBER II.

De tribus Sacerdotis officijs in particulari.

*De dispositione necessaria ante celebrationem.*

## CAPVT I.



Actenus de impedimentis officiorum Sacerdotum egimus, nunc de ipsis officijs primum agere oportet. Cum autem hæc tria maxime sint, vt superius diximus, celebrent diuina officia, Sacramenta administrare, populum instruere, de primo tractemus. Cuiusque istud in duo diuidatur, & in perfoluendis horis canonicis, & in sacris celebrandis, ab hoc initium sumimus. Et antequam de ipso sacrificio dicamus, agendum est de dispositionibus, & circumstantijs quibusdam, quæ circa ipsum sunt, quæ in tres partes diuiduntur: quædam obseruanda sunt ante accessum ad celebrandum quædam in ipsa celebratione, quædam post. Quæ obseruari debent ante, hoc carmine breuiter descripsimus.

*Ieiuna, recita, expecta, tua crimina pande.*

In quo quatuor verba continentur, primum est (*Ieiuna*) cap. liquido, de consecratione, d. 2. & can. sacrum d. l. de consecra. D. Thom. 3. p. q. 80. art. 8. Debet celebraturus accedere ieiunus, ita vt nihil cibi, nihil potus illo die sumpserit. Quæ dies computatur à media nocte superiori. Qui autem accesserit non ieiunus, quauis id infirmitatis causa fuerit, peccat mortaliter, vnde maius ieiunium esse necessarium, quam ad obseruatio-

nem

nem præcepti ieiunij Ecclesiæ: hoc enim potus non soluit, nec medicina, illud verò soluit. Ob id dicitur ieiunium naturale. Nec huic obstat, quòd cum abluatur os, aliqui humores cum salua deglurantur per modum saluæ, dum non sit notabilis quantitas, vt videatur haustus. Nec obstat etiam, quòd particula relictæ intra dentes cibi præcedentis deglurantur aliquando, quia idem est per modum saluæ, non cibi. De hoc ieiunio non est præceptum diuinum, sed Ecclesiæ tantum, obligans tamen ad peccatum mortale. Quod ieiunium imposuitur, tum propter reuerentiam sacramenti, tum propter significationem, vt significetur primùm à nobis quærendum esse vniri cum Christo in charitate & gratia.

Sunt tamen casus aliqui, in quibus licet sumere Eucharistiam, seu dicere sacrum non ieiunum.

Primò cum quis omninò immemor suscepti cibi, vel potus accessit altari, & post consecrationem recordatur, tunc non debet desistere, sed continuare: quod si ante consecrationem recordatur, desistat, nisi adsit scandalum circumstantium; tunc enim profecti debet, nec est peccatum. Angel. verb. Euchar. 2. §. 6. & Siluest. verb. Eucharist. 2. §. 7.

Secundò, si sumpsit sanguinem, & inuenit non fuisse sanguinem, quia vinum non apposuit, sed aquam, vel acetum, tunc quamuis non sit ieiunus, debet iterum (ne Sacramentum maneat imperfectum) apponere vinum & aquam, & iterum consecrare, incipiendo ab illis verbis (*simili modo postquam cenauit*) vsque ad illa (*inde & memores*), & sumere. Idem si inuenit hostiam fuisse panem corruptum, debet apponere aliam, & incipere ab illis verbis (*qui pridie quam pateretur*) vsque ad consecrationem inclusiuè, & sumere, & hoc vtrumque absque noua eleuatione.

Tertiò, si postquam sumpsit abluitionem, inuenit particulas Sacramenti in corporalibus, Caietan. verb. missa, tunc debet sumere, nisi iam notabile tempus transierit, quod est post orationes, vel quando iam destitit ab abluitione. tunc debet in loco sacro seruire, vsque in alium diem; vel ab alio Sacerdote sumatur.

Quartò, si post abluitionem adhuc particula sacramenti maneat in calice, vel in ore, melius est tunc superinfundere vinum, & sumere. His casibus potest non ieiunus celebrare.

Alterum verbum est (*Recita.*) Ante celebrationem debet persolvere horas matutinas, quòd si scienter accedat, quamuis

communiter dicatur esse peccatum mortale, tamen non  
 vt tenet Siluest. verb. Missa, l. §. 6. Soto 4. d. 13. quæst. 2. art. 2.  
 quamuis hæc sententia non sit omninò tuta, quia communi-  
 est in contrarium, tamen ad hoc seruet, vt quando sit aliqua  
 causa rationabilis, licet non sit nimis notabilis, possit celebra-  
 ri absque scrupulo non persolutis matutinis. De prima autem  
 non sic est, immò licet prius celebrare missam, nullumq; hoc  
 peccatum est, nisi esset consuetudo in aliquibus locis, & tunc  
 id intelligitur de prima recitata in choro, non de particulari,  
 & de missa communi.

Tertium verbum est (*Expecta*) quod ad tempus referri de-  
 bet: non enim quolibet tempore, etiam ieiuno celebrare licet,  
 sed ab aurora, vsque ad meridiem, Ioann. Andr. c. 7. de celebra-  
 tione missæ. Nauarrus verò negat c. 25. num. 55. & dicit, si sine  
 scandalo fiat, posse post meridiem. Tamen mihi videtur con-  
 tra Nauarr. esse dicendum, quia vsus Ecclesiæ, qui locum ha-  
 bet legis, ita obseruat. Et ita ante auroram celebrare, extra se-  
 stum natiuitatis, & hoc quoad primum sacrum, graue esse  
 peccatum. cap. in nocte, de consecrat. d. 1. Nisi peculiare ali-  
 quod existeret priuilegium, vel aliqua necessitas vrgens com-  
 municandi infirmum instaret, sed cum licentia Episcopi, aut  
 superiorum. Anto. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 4. & sine licentia, cum ab e-  
 superior. Nauar. c. 25. nu. 85. Post meridiem verò celebrare, dum-  
 modo esset ieiunus, non ita graue esset peccatum, quia non  
 extat peculiaris prohibitio; tamen propter consuetudine non  
 licet, sine aliqua causa rationabili, cum qua liceret post meri-  
 diem aliquo paruo tempore celebrare. Vnde grauius peccant  
 sacerdotes, qui tempore Paschæ Resurrectionis statim post  
 mediam noctem celebrant, & populum communicant, vt  
 tunc possint vesci carnibus.

Quartum verbum est, (*Tua crimina pande.*) Ante celebra-  
 tionem debet esse confessus, cap. de homine, de celebr. missa, &  
 Concil. Trid. sess. 13. c. 7. & can. 11. Si habes conscientiam pecca-  
 ti mortalis.

Nec sufficit contritio, nisi in duobus casibus.

Primus est, cum non recordatur nisi in missa, tunc re-  
 cordatur post consecrationem, doleat, & continet missam:  
 si ante, tunc si posset commode recedere, & prius confiteri, de-  
 bet facere. Quod si scandalum est aliquod, doleat, & conti-  
 nuet missam, cum proposito semper post missam confite-  
 di: securè tamen potest continuare, cum est paulò post ini-

tium,

tium, nec potest confiteri. Idem dicendum est de eo, cui sub-  
 it in mentem excommunicatio, vel impedimentum aliquod,  
 tunc potest continuare, nec incurrit irregularitatem: quam-  
 vis si est paulò post principium, nec vllum sequitur scanda-  
 lum, debet recedere. scilicet non. Silu. Angel. verb. Eucharist. 2.  
 §. 6. & 7.

Alter est, cum aliquis recordatur ante missam peccati mor-  
 talis alicuius, & tamen est tempus celebrandi, & tenetur cele-  
 brare, quia est dies dominicus, & in castello non est alius Sa-  
 cerdos, qui celebret, nec cui possit confiteri, tunc debet conte-  
 ri, & cum proposito confitendi accedere, aliàs non sufficit cõ-  
 tritio. vide Concil. Triden. cap. 7. sess. 13. Hoc etiam dici posset  
 illis, qui non sunt Sacerdotes, & accedunt sacramento, & iam  
 in altari existentes recordantur alicuius peccati mortalis, ne-  
 que sine scãdalo possunt recedere, debent communicare, cum  
 proposito confitendi post communionem. Vnde fit, quòd  
 Sacerdos, qui ministrat Sacramentum, cum non potest absol-  
 vere, quia non habet iurisdictionem talem, si tunc ab ipso pe-  
 nitentia absoluitur illic petatur, vt fieri solet, melius faceret, im-  
 mò debet facere, aut illum à communione arcere, si potest si-  
 ne scãdalo, aut secretò dicere, vt sine scrupulo communicet,  
 cum proposito confitendi suo proprio confessario; ipse tamen  
 non debet absoluere. Vnum tamen hic est attendendum  
 quòd non sufficit aliquando confessio ad celebrandum: cum  
 enim peccatum paruo tempore antecessit, non debet celebra-  
 re, sed expectare diem alium. Vnde qui se accusant, quòd nocte  
 proxima peccatum carnis commiserunt, quamvis cum dolo-  
 re accedant, & absoluantur, sunt tamen à celebratione arcen-  
 di, nisi aliqua grauis necessitas occurrerit. Et meritò id fit; si e-  
 nim qui pollutiones nocturnas patiuntur, etiam sine peccato,  
 vel cum peccato, arcantur à communione, nisi obligatio in-  
 tercedat, vel notabilis deuotio: (licet non esset peccatum  
 mortale istis celebrare) quanto magis repellendi sunt illi, qui  
 mortaliter peccarunt, & maximè, ac maximè, qui sæpè idem  
 peccatum inculeant per reincidentiam. Hæc igitur sunt  
 quæ potissimè obseruanda sunt ante  
 ipsam celebratio-  
 nem.

## De dispositionibus in ipsa celebratione.

## CAPVT II.

**A**lia etiam sunt, quæ in ipsa celebratione maxime sunt attendenda, quæ memoriæ causa alio secundo carmine continentur, quod tale est.

*Apta locus, vestis tibi sint, alia e minister.*

In primis debet esse locus aptus; non enim licet celebrare in loco per Episcopum non consecrato. Vnde in agro, vel in alio loco absque licentia Episcopi, vel priuilegio celebrare extra tempus necessitatis non licet, de consecratione, dist. i. can. infarum solemnia, & cap. hic ergo de consecrat. d. i. can. concedimus. Concil. Trident. sess. 22. in decret. de obseruan. quo precipitur, ne omninò extra Ecclesiam, aut extra oratoria ab ordinarijs designata, & visitata celebretur. Vnde ius antiquum est derogatum, Can. concedimus. d. i. Cùm tamen necessitas occurrerit, nec est facilius ad eundem Episcopum, posset celebrari in loco non consecrato. Esset necessitas, si occurreret preceptum audiendi missam, dum fit iter, de consecra. dist. i. can. concedimus, vel communicandi aliquem in mortis articulo, vel quid simile. Tamen debent adesse cætera dicenda: alia scilicet, & alia, quæ dicemus. Iam verò raro loca consecrantur: sufficit proinde benedictio.

Similiter debet esse locus aptus, in quo non est periculum submersionis sanguinis, vt in mari, vel flumine, vbi non licet celebrare. Anto. 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 4.

Similiter locus aptus non pollutus effusione seminis, vel sanguinis: nam in polluto esset peccatum celebrare, licet non incurreretur irregularitas, Nauarr. cap. 25. num. 83. pollutio autem, si occulta est, non impedit, nec opus est reconciliatio in Ecclesiâ, cap. is qui, de sent. excomm. in 6. vbi dicitur, quauis sit peccatum in Ecclesia polluta, vel coram excommunicato scilicet celebrare, tamen non incurritur irregularitas nec etiam celebrare in Ecclesia, quauis alia causa polluta induceret irregularitatem, vt dicunt Sor. & Palu. 4. d. 13. q. 2. De licentia Episcopi posset celebrare in Ecclesia polluta, cum reconciliatio, vt habet S. Thom. 3. par. quaest. 83. art. 3. ad 2. propterea excusari videntur multi in Germania, debet tamen esse nota.

Aliud verbum est, (*vestis apta.*) Anto. 3. par. tit. 13. c. 6. §. 6. Non

potest

potest enim absque mortali Sacerdos celebrare, absque vestibus sacerdotalibus. Circa quas debet observari qualitas, & quantitas.

Qualitas quidem, ut sint benedictæ ab Episcopo, vel Abbate, vel ab habete similem potestatem, quales sunt aliqui priores religiosorum.

Altera qualitas, ut sint mundæ vestes: celebrare enim cum immundis notabiliter vestibus, esset mortale, & magna irreverentia fieret sacramento mundissimo.

Tertia est, ut sint integræ, & non dilaceratæ notabiliter. In quo profectò magna apud multos reperitur incuria. Hæc autem munditia necessaria est in his etiam, quæ in altari sunt, velut in corporalibus, & in purificatorio, quæ aliquando gravi negligentia multorū, adeò solent esse immunda, ut à mensa communi cum nausea expellerentur.

Numerus etiam observandus est; sunt enim sex: in quo notatur perfectio. Est enim senarius numerus perfectus; in sex enim diebus fecit Dominus cuncta. Sexta ætate redemit mundum, sex etiam voluit in suo Ministro, vestes, scilicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula, quæ non sunt absque magna, & consideranda significatione.

Primo Amictus, si significatio à Christo Domino, quem Sacerdos repræsentat, sumatur, significat velamen, quod Iudei ante oculos Domino posuerunt, cum eum alapis percutiebant. Ut autem ad mores refertur, significat fidem, quæ est primum fundamentum Religionis Christianæ, quæ non in evidentia rerum credendarum, sed in captivitate intellectus voluntaria consistit. Ob id optime per velamen oculorum repræsentatur. Solet amictus quoddam additum habere ornatum, quo significat spem bonorum æternorum, qua fulciri debemus in omnibus præsentis vitæ calamitatibus, ob id Galea salutis dicitur. Amictus iste à capite in humeros, & deorsum descendit, per quod opera bona significantur, quæ cum fide coniuncta esse debent. In humeris enim, & dorso fortitudo laboris consistit. Ab isto duæ chordæ descendunt in pectus per modum crucis, quæ intentionem operum in Deo ponendam ostendunt.

Alba vestis est illa longa, talaris, & ampla, quæ significat vestem illam albam, qua Herodes Regem gloriæ Christum nudavit in signum amentie, ob idque est longa, ut gressu hominis impedito, hic, illique caderet, omnibusque in derisum

esset.

esset. Circa mores significat vtilem iustitiam, quæ debet esse  
omni opere Sacerdotis, vt quicquid faciat, & operetur  
forme sit rationi, & voluntati diuinæ; Et eius largitas signi-  
cat amplitudinem operum sacerdotis, quæ multa, & magna  
& conuenientissime facta esse debent. Debet esse linea, pu-  
rissima, non ex animalium pellibus, vel feris; nam pellibus re-  
datus fuit Adam post peccatum, & factus fuit vt iumentum;  
sed ex herbis esse debet, ad significandum morum viriditatem  
& vigorem; & albedo innocentiam, & vitam immaculatam  
denotat.

Tertia vestis est, Cingulum per renes, quo tota alba com-  
primitur. Significat primum ligamen, quo Iudæi in honore  
Christum comprehendentes ligarunt. Circa mores significat  
castitatem, quæ cum omni opere sacerdotis coniuncta esse  
debet. Hæc enim nimis Deo placet. Et nota, quod cingulum  
Pontificis sit à læua parte duplex cinctorium dependens: in  
quo notatur, quod castitas maximè in ieiunio & oratione con-  
seruatur & acquiritur.

Quarta est, Manipulus: significat secundum ligamen Chri-  
sti, quo in columna ligatus est, estque in læuo brachio, vnde  
notet amorem intimum cordis, quo Christus passionem per-  
tulit, quia cor ad læuam vergit partem, & sacerdos proficit,  
se simili correspondens amore ipsi Christo. Circa mores si-  
gnificat præsentiam, quæ in hac vita (significata per læuam  
partem) debet haberi: cui præsentia postea respondet mani-  
pulus retributionis, iuxta illud, *Euntes ibant & flebant, mittentes  
semina sua, Venientes autem venient cum exultatione, portantes ma-  
nipulos suos.* Solus Pontifex post casulam sumit manipulum  
vt denotet, & figuret Christum, cuius opera non fuerunt  
ante charitatem & gratiam: quia ex summa gratia operatus  
est; nec sibi, sed nobis meruit. Nos per pœnitentiam ad chari-  
tatem venimus, ob id alij sacerdotes manipulum ante casulam  
induunt.

Quinta est, Stola, quæ vltimum ligamen Christi significat,  
quo ad crucifigendum ductus est. In Sacerdote significat iugum  
legis dominicæ, quod debet ipse ferre, ob id super collum eius  
& etiam super vtrumque humerum, vt notet obedientiam, &  
patientiam, quibus iugum portari debet. Descendunt etiam  
inferius partes duæ, ad significandam prudentiam, & tempe-  
rantiam: & extremitates sunt prope terram, ad significandam  
perseuerantiam. Et nota, quod Diaconus habet stolam, sed



tantum in laevo humero, per quam notatur vita actiua; quia ille tantum est ad administrandum. Sacerdos habet in utroque, ut complectatur vitam utramque, actiuam, & contemplatiuam.

Ultima vestis est, Casula, siue Planeta, quæ tunicam inconfuribilem Christi significat, Casula etiam significat vestem purpuream, qua indutus est Christus in domo Pilati, & ita intelligit Gabriel super canon. Circa motes significat charitatem, quæ præcipua omnium est vestis, & coniungitur cum amictu, ut denotet fidem coniunctam esse debere charitati. Hæc vestis partem anteriorem habet angustam, & partem posteriorem laram, per quod denotat, quod charitas est circa Deum & proximum, verum citra Deum vnum tantum, ob id angusta est pars anterior, non enim pluralitas est Deorum. Latitudo posterioris notat amplitudinem Christianæ charitatis, quæ se extendit ad amicos, & inimicos: & est longior, quia se extendit etiam ad mortuos. Hæc duæ partes significant etiam duos status, quibus homines saluantur, & ante gratiam, & post: sed prior erat angustus, quia non ita diuina gratia, nec diuina remedia abundabant, sicut modo in posteriori statu post Christum abundant. Hæc sunt vestimenta Sacerdotis, intra quæ calcamenta non computantur, quæ tamen sunt necessaria, quia non solent benedici.

Sequitur post locum, & vestes, aliud, scilicet, *altare*. Multa sunt, quæ requiruntur, ut altare sit paratum, quæ quidem ista sunt. Ara, mappa, corporalia, vas, liber, candela. In primis ara debet necessario esse, sine qua consecrare, esset graue mortale peccatum. Debet esse lapidea, can. altaria. de consecr. d. i. non ex alia materia. Debet esse integra, non notabiliter rupta, cap. 1. & 3. de consecr. Ecclesiarum. Debet esse consecrata, alias nullo modo celebrari debet, nec posset Episcopus dispensare, nisi solus Pontifex. Debet esse capax, ut corpus, & maiorem partem calicis capiat. Significat ara crucem, in qua immolatus est Christus. Est autem lapidea, ad denotandum, Christum esse petram spiritualem. Rursus mappæ debent esse ad minus duplices, vel tria duplicata, corporalia benedicta, & linea, nullo modo sericata, quia Dominus in syndone linea inuolutus est. Vas, scilicet calix, & patena, debent esse aurea, vel argentea, ex stanno, non ex alia materia, quamuis olim lignea solebant esse, cap. 1. de celebratione missæ. Deponitur ab officio, & beneficio, quia in vase ligneo consecrat. Et adhuc debent esse consecrata.

Calix

Calix significat sepulchrum. Patena, lapidem suprapositum. Liber est necessarius, saltem in quo contineatur canon, & libro celebrare, peccatum mortale est. Sunt necessariae, calix accensae, sine quibus, vel saltem vna, mortale peccatum est celebrare. Significat autem lumen accensum, diuinitatem immortalem, & semper existentem: & deponitur Sacerdos in officio & beneficio, qui sine lumine celebrat, cap. *fin. de celebrat. miss.* Nec est necessarium lumen ex cera, quamuis leuius est ipso vi. Hæc omnia sunt de iure positio, in quibus potest Papa dispensare. *Minister* necessarius est, de consecr. d. i. cap. hoc autem, ubi duo ministri ponuntur; sed sufficiens iam ex consuetudine, & debet esse vir, non foemina, ut habetur, de cohabit. cleric. & mulie. c. i. Et idem tradit *Arnoldus*, de consecr. d. cap. hoc quoque, & Dec. de reg. iuris, l. *strona*, §. 40.

*De dispositionibus post consecrationem.*

CAPVT III.

**I**am quæ post celebrationem obseruari debent, isto carmine continentur.

*Sacrificæ, vna luce semel, nisi causa requirat.*

Tria continentur in hoc carmine. Primum est, *Sacrificæ*, non tantum facit Sacerdoti semel in vita celebrare, cum sæpe possit. Et quamuis aliqui dicant, quod non peccat simplex Sacerdos non celebrando per totam vitam, tamen plures sunt doctores, & graues, qui tenent, quod ter aut quater in anno celebrare debet, saltem festis solemnibus, quibus solent fideles communicare, & oppositum facere, est peccatum mortale. S. Th. 3. p. q. 82. art. 10. Dur. Palu. 4. d. 13. q. 2. Vide quæ diximus supra & cap. dolentes, de celebr. missarum. Suspenditur qui non celebrat quater in anno, (licet suspensio non seruetur) quia potestas spiritualis, quam recipit, ipsum obligat, ne in otio maneat. Quod si curatus est, tenetur celebrare omnibus diebus, quibus populus tenetur audire sacrum, nisi loco suo alium substituat. Nullus tenetur quotidie celebrare, etiamsi obligatus sit ratione capellæ; non enim tenet obligatio cap. significatiu. de prebendis; sed debet celebrare salua reuerentia, & honestate. Vide Silu. ver. mista. i. §. 7.

Alterum est, *una luce semel*. Nullus potest absque peculiari privilegio celebrare, nisi semel in die, cap. consuluisti, & cap. te referente, de celeb. missarum. & oppositum facere, non esset devotio, sed graue peccatum mortale contra præceptum Ecclesie. Similiter nec communicare quis potest, nisi semel tantum in die: hæc enim vnitas sacramenti significat vnicam Christi mortem, per quam semel mortuus est, & semel pro nobis passus est.

Tertium verbum est, *Nisi causæ requiratur*. Sunt enim aliqui casus, in quibus celebrari pluries in die potest.

Primus est, festum natiuitatis dominicæ, in quo licet tria celebrare sacra; non tamen per hoc obligatio est celebrandi tria, vel audiendi: nam sufficit vnum: tamen ex deuotione conceditur posse celebrare tria. Et hoc non absque magno mysterio: nam per tria sacra, significantur tres Christi natiuitates, scilicet Aeterna, qua nascitur Deus ex Patre; Spirituales, qua nascitur in cordibus nostris per gratiam; Corporalis, qua nascitur homo ex matre. Prima autem omnium, quæ media nocte celebratur, significat corporalem generationem, quia natus est media nocte, & in tenebris huius mundi, venit enim incognitus. Ob id cantatur Euangelium, *Exiit editum*, in quo talis natiuitas describitur. Secunda significat spiritalem, qua in nobis per gratiam nascitur, & sic incipit in oratione, *Lux fulgevit hodie super nos*, iuxta illud 2. Petri 1. *donec lucifer orientetur in cordibus nostris*. Et Euangelium de pastoribus, in quibus per gratiam natus est. Tertia, significat generationem æternam, quæ dicitur manere, ad significandum illum diem æternitatis, de quo dicitur, *in splendoribus sanctorum ante luciferum genuisse*. & Euangelium hoc indicat: *In principio erat verbum*. Introitus autem est, *Puer natus est nobis*; quia nomine illius pueri, intendit Ecclesia diuinitatem ostendere, Alij mutant hunc ordinem, & per primum sacrum æternam generationem, per tertium temporalem intelligunt; sed melius dicitur modo prædicto. Significant etiam ista tria sacra, tres status, quibus homines saluati sunt, scilicet status naturæ per mediam noctem significatur; quia debilis erat tunc Dei cognitio in hominibus: legis status, qui per auroram significatur, quia maiori facta est in hominibus Dei cognitio. Gratiæ status, qui per diem, in quo diuina gratia, & cognitio maximè abundauit. Nota tamen quod ista tria sacra, sunt à ieiunio celebranda. Vnde in primo & secundo sacro, nõ debet sumi ablutio; qui autem

incaute sumperit, non potest illo die aliud sacramentum celebrare. Et hoc modo intelliguntur alij omnes casus, in quibus licet pluries celebrare, scilicet, quod in primo ablutione fuerit sumpta, quamuis extra istam diem non licet celebrare, sed solum bis.

Secundus casus huius est, cum quis habet duas parochias (Iam Concil. Trid prohibuit, ne vllus duas habeat parochias) propter ipsarum tenuissimum redditum, nec potest ambobus vno sacro satisfacere, nec socium habet, tunc potest modo prædicto bis celebrare.

Tertius est, si postquam celebravit, superuenit Episcopus, qui vult audire sacrum, nec est alius qui celebret, & excommunicatum festum: tunc si non sumpsit ablutionem, potest iterum celebrare.

Quartus, cum superuenerint multi peregrini, & est de precepti Similiter cum alius non adest.

Quintus, cum infirmus debet communicari, & non clericum. Aliæ possunt esse causæ, sed istæ communiores. Notandum, quod non omnibus diebus licet celebrare. Die Ven. sancti non licet consecrare, nec die Sabbati sancti, nisi rari, quia tale sacrum non est talis diei, sed noctis resurrectionis, qua solebat celebrari, & mos retinetur iste in aliquibus locis, licet communiter humana fragilitate oblitus sit, cuius incicium poterat per totum diem sustineri. Hæc igitur sunt dispositiones post celebrationem.

*Quid sit Missa.*

CAPVT IIII.

**I**Nter ea, quæ de sancto Missæ sacrificio dicenda occurrunt, id primum est, quid sit Missa. Videtur autem sic aliquo modo posse describi. Oblatio corporis, & sanguinis Domini, sub alienis speciebus facta, sacrificij ab ipso semel oblati expressiua. In hac descriptione, quatuor sunt verba attentè consideranda.

Primum est, *oblatio*. Est autem oblatio, actus quidam exteriori patriæ, quo Deo offerimus creaturam aliquam suam, in signum recognitionis, quod ipse est principium totius esse. Dominus omnium, & à quo totum bonum procedit. Et hoc dicitur sacrificare, quod quidem ob dictam causam nulli con-

uenit alteri, nisi soli Deo vero. Ipse enim est verum omnium principium: nulla fuit tam barbara natio mundi, nec est, quae circa Deum saltem falsum, & daemone astutia fictum, non vteretur hoc sacrificio, & cultus genere. Gentiles enim, & omnes idololatrae suis dijs falsis offerebant, & sacrificabant. Iudei Deo vero nostro etiam sacrificia exhibebant. Religio nostra sancta, & vera etiam Deo sacrificium maxime acceptabile offert, & tale est missa.

Alterum verbum est, *Corporis, & sanguinis Domini*. In quo dignitas sacrificij huius conspicitur. Non enim tauri, vituli, aut alia huiusmodi offeruntur, sed corpus, & sanguis pretiosissimus Christi, cuius valor infinitus est. Cōspicitur etiam in hoc Dei Patris complacētia; maxime enim in hoc sacrificio delectatur, utpote in corpore, & sanguine filij sui: de quo sacrificio dicebat Psal. 49, *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

In maiorem declarationem, nota quod Iudæis erat triplex genus sacrificij.

Primum erat, quod Deo offerebant ob ipsius reuerentiam, recognoscētes ipsum generalem omnium Dominum, & hoc dicebatur holocaustum, in quo totum animal, quod Deo offerebatur, igne consumebatur, & nulla reseruabatur particula, ut ostenderent omnium propterea Deum esse dominum, & creatorem.

Alterum sacrificium erat, quod Domino offerebant, in reconciliationem, pro aliquo commisso peccato, quod dicebatur hostia, seu victima placabilis: & huius aliqua pars seruabatur Sacerdoti, totum reliquum igne consumebatur, in quo denotabatur, quod Deus est causa nostrae salutis, sed medijs ministris suis. Quando tamen erat peccatum Sacerdotis, vel totius populi, tunc expiatio fiebat per holocaustum, ut denotaretur aut ministri iniquitas, aut peccati grauitas.

Tertium erat, quando Deo offerebatur in gratiarum actionem, pro beneficio accepto, vel per cuiusvis obtinendi beneficii impetrationem, & dicebatur hostia pacifica: & huius fiebant tres partes. Altera Deo offerebatur per ignem; altera Sacerdoti dabatur, altera ipsis offerentibus remanebat. In quo notatur, quod Deus dat salutem per suos ministros, & nobis etiam cooperantibus. Haec tria sacrificiorum genera erant in Iudaismo a Deo instituta: omnia tamen erant figura oblationis huius, in qua corpus dominicum offertur. Ipsum enim

est verum holocaustum, quod maxime in Dei Patris gloria  
Christus obtulit totum. Et vera victima placabilis, quæ totum  
reconciliauit genus humanum. Vera etiam hostia pacifi-  
ca, nam per ipsam maxime gratiæ Deo sunt ostæ, habitæ, & cre-  
ta, & per eam maxima nobis beneficia obtinuit Christus. Co-  
igitur in missa id fiat, quod Dominus in morte sua fecit, ob-  
recte dicitur missa, oblatio corporis & sanguinis Domini, in  
quo nostra oblatio differt ab ea, quæ in lege scripta fiebat, quæ  
quamuis esset figura huius nostræ oblationis, non tamen ipsa  
vera erat corporis dominici oblatio.

Tertium verbum est, *Expressiua sacrificij à Christo Domino facti*. In quo verbo, missa differt à sacrificio illo Christi. Nam  
Christus, etsi obtulit suum corpus, & sanguinem, illa tamen  
oblatio non dicitur Missa, saltem eo modo, quo in præfatione  
loquimur, nam illa oblatio sic fuit oblatio, vt non fuisset sig-  
nificatiua, seu expressiua oblationis. At nostra oblatio, et ob-  
latio, sed significatiua, & expressiua Christi oblationis. Vnde  
qui missam celebrat, non solum offert Christi corpus, & san-  
guinem, sed repræsentat Christi oblationem. Vnde repræsen-  
tando offert, & offerendo repræsentat, ad modum tragediæ  
alicuius, in qua repræsentatur aliquod Regis factum, & ille  
idem Rex, cuius factum repræsentatur, in tragedia illa vere  
introducitur. Vt enim aptius intelligas, scito quod cum Chri-  
stus sacrificauit, considerantur in eo sacrificio duo. Primum,  
quod oblatum est, & hoc est corpus, & sanguis. Secundum,  
modus, & hic fuit vere moriendo. In missa est illud idem quod  
oblatum est, scilicet corpus & sanguis: sed modus est in repræ-  
sentatione & significatione. Nam per hoc, quod primario cor-  
pus separatim à sanguine, & sanguis à corpore separatim  
consecratur, mors Christi significatur: ob id est veritas, &  
repræsentatio: Ob id postquam est illud verbum tertium, *Ex-  
pressiua*.

Quartum verbum est, *semel*. In quo notatur efficacia huius  
sacrificij. Nam solum à Christo oblatum est, & vnicum sacri-  
ficium est: habuit tamen infinitam sufficientiam & valorem  
ex se. Vnde fit, vt pluries Deo offerri possit illud in missis, &  
valor eius extenuari non potest. Et est exemplum: Si aliquis  
habuerit vnã gemmã tantı valoris, vt quæcunq; omnes  
homines alicuius ciuitatis opus haberent, illa possent emi, &  
esset aliquis, qui aliqua necessaria talibus ciuibus haberet, tunc  
si dominus gemmæ istius daret eam pro quocunq; necessario  
ciuium

uatum, tunc quidem vna esset datio, tamen, quoties quisque cuius ab eo peteret aliquid, tunc esset noua quadam repetitio dationis, & solutio, quia gemma illa omnium est pretium. Sic quodammodo intellige, fuit Christi corpus, sacrificium summe acceptum Patri, & infiniti pretij, vt illo sit contentus Pater pro omni debito nostro, & pro omni alio sacrificio exhibendo, dummodo nos illud reperamus, quod fit celebrando, & illo vtamur per bona opera. Tale igitur sacrificium, missa est.

Vocabulum autem hoc, *missa*, omissis multis alijs, quæ de hoc dici solent, est hebraicum. Hebræi enim, oblationem vocant מִזְבֵּחַ, id est, missa; Hamets, mutato in duplex sigm a, vnde in illo Psalmo, vbi dicitur, *Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum*, hebraice habet miza; & Hieron. vertit, *oblatio manuum mearum*. Hoc igitur sacrificium dicitur missa, scilicet oblatio quadam.

*De Missæ partibus.*

CAPVT V.

Sacrificium istud in tres diuiditur partes principales. Quarum prima est, quæ antecedit ipsam oblationem: secunda est ipsa oblatio. Tertia est post oblationem. Et quamuis nõ intendimus omnia minutissime prosequi, quæ profecto mysterijs sunt referta, nonnulla tamen summarim & generaliter attingemus. Prima pars est vsque ad offeritorium exclusiue. Secunda ab offeritorio, vsque ad post-communionem. Tertia est, a post-communionem, vsque in finem.

Prima pars constat introitu, & instructione populi. Introitus est vsque ad orationes. Instructio est per epistolam, & Evangelium.

Introitus significat ingressum Domini in hunc mūdum. Oblatio Sacerdos, præmissa confessione, quæ non censetur pars missæ, sed præparatio quadam, osculatur altare, in quo denotat unionem Verbi cum carne, & Christi cum Ecclesia, iuxta illud, *osculatur me osculo ori sui*. In introitu exprimuntur ea, quæ gesta sunt ante hunc Christi aduentum: præcesserunt enim desideria, voticia, laudes, clamores Prophetarum, & Patriarcharum: ob id in introitu sunt ista, initium ipsum, quod bis

reperitur, ad denotandam vehementiam desiderij sanctorum patrum, Statim versus sequitur, denotans ipsorum preciniam, & statim, *Gloria Patri*, notans ipsorum laudes, & *Kyrie eleison*, notans clamores ipsorum, & voces perennes adnam misericordiam. Ob id toties repetuntur. Singulae enim diuinæ personæ Trinitatis ter acclamantur, qui numerus statat, in singulis personis inesse singulas: est enim in Patre Filius, & Spiritus sanctus, similiter sunt in se inuicem. Statim cantatur, *Gloria*, denotans ipsius aduentum: nam in Domini natiuitate illud cantarunt Angeli. Totum hoc Introitus dicitur.

Sequitur instructio populi: & quia primò fuit inuestigata facta per Prophetas, & similiter per Apostolos, cum Christus misit illos binos prædicare. ob id præmittitur epistola, & aliquando est ex Propheta, & aliquando ex Apostolo. Exigitur Graduale, quod ad gradus altaris decantari solebat, significans opera ipsa, quæ debent respondere prædicationi: populus enim debet exequi, quæ in prædicatione percipit. Antequam instructiones tamen præmittitur Collecta, seu oratio dicta Collecta, quia animus populi debet esse collectus in diuinæ consideratione. Præmittitur oratio, quia quæ faciendæ sunt, oportet a Deo peti: & ad hoc etiam diuino indigemus auxilio, ob id præmittitur, *Dominus vobiscum*. Hæc oratio semper est Deo dirigenda, quamuis liceat aliquem sanctum intercessorem ponere, vel beatam Virginem: atq; ob id missa solet a sancto denominari, maxime quia in introitu, & instructione est aliqua similitudo vitæ illius, non tamen, quòd sacrificium sit alicui, præterquam Deo.

Post hanc instructionem sequitur Euangelium, quod fit a dextro altaris latere. ob excellentiam maioris doctrinæ. Exponitur latus primum, ad denotandum, quòd à Iudæis doctrina veritatis debuit auferri, & tradi Gentilibus, qui sunt læuam sacerdotis; In quo notatur, quòd nisi esset ob culpam Iudæorum, ipsi erant dextera pars, quibus præcipue lex creanda, atq; doctrina.

Finis Euangelio, dicitur *Credo*, notans fidem, quæ secuta est prædicationem. Atq; hæc est prima Missæ pars, quæ dicitur Missa cathecumenorum, quia cathecumeni in Ecclesia primum hæc tenus permittentur præsentem esse sacro. statim. n. canebat voce alta diaconus, dicens, *Ite missa est*. id est, recedite foras, & incipit oblatio, & sacrificium, cui vos non potestis adesse, donec sacro baptismatis fonte lauati in Christo renascamini.



Statim sequitur secunda pars Missæ, ab offertorio, in quo præparantur, & offeruntur ea, quæ consecranda sunt, & omnia ista sunt voce submissa, ad denotandum illud Christi exilium, Ioan. 20. cum Christus non palam loquebatur iam, cum Iudæi illum comprehendere destinarant: statim post hoc silentium, sequitur præfatio, significans illum ingressum magnificum in Hierusalem, cum pueri cantantes Dominum receperunt; quo finito sequitur canon vsq; ad communionem, in quo fit consecratio ipsa, & sumptio: In quibus duobus sacrificium consistit.

His absolutis, est tertia pars Missæ, scilicet, post communionem & orationem, quæ gratiarum actio est, & fit in latere sinistro altaris, ad significandū, quod Iudæi in fine mundi conuententur ad Dominum. Hæ sunt partes missæ. Multa quidem prætermitto in particulari, quæ digna sunt magna meditatione, tamen quia esset valde prolixum omnia profequi, & solum aliquam in his instructionem paramus, ad alia tendentes, referuo in alium locum. Vnum tamen hic notandum est, quod corpus, & sanguis Domini sub speciebus panis, & vini contenta, sunt quidem sacramentum, sunt etiam sacrificium. Sacramentum quidem sunt, quatenus sub illis speciebus continentur; sus aurem in sumptione consistit: at verò sacrificium sunt, cum offeruntur Deo Patri. Et hæc oblatio posita est in duobus, & in consecratione ipsa, & in sumptione à Sacerdote. Vnde cum in pyxide conseruatur hostia consecrata, sacramentum est, non sacrificium; cum verò in missa consecratur, & sumitur, non tantum sacramentum est, sed etiam sacrificium. Multa, quæ dici poterant de forma, & materia ipsius, reseruabimus in locum, cum ibi de singulis in particulari tractabimus. Hæc, quæ diximus, non sunt omnia de iure diuino, præter ipsam consecrationem, & sumptionem; reliqua sunt de iure humano. Et adhuc non omnia fuerunt à principio nascentis Ecclesiæ; sed successu temporis fuerunt multa laudabiliter apposita, donec ad hanc integritatem reducta est missa, cuius aliquam notabilem partem negligenter permittens, grauitè peccaret mortali.

rcx.

## De valore huius Missaratione sacrificij.

## CAPVT VI.

**D**ifficilis est hæc materia, nec Doctores in ea sunt conformes dicant ea, quæ mihi probabiliora visa sunt.

Valor huius sacrificij duplici ex parte sumi potest, una ex ipso actu offerentis; alia ex ipsamet re oblata, ut sunt duo valores distincti. Actus quidem ipsius offerentis augetur secundum quod magis est deuotus, vel minus, aut ex maiori vel minori charitate procedit. Valor tamen ex parte ipsius oblate semper est vnus, & idem: qui quidem finitus quidam gradus est. Nam quamuis res oblata sit infinita, quia tantum offerens est finitus, & oblatio finita, ad certum finitum vnus modum determinatus est: quemadmodum in ipso sacramento, ut sacramentum est, gradus finitus valoris continetur, quando confertur alijs, quamuis in se res infinita sit, quia sacramentaliter continetur, & datur: prior valor dicitur ex opere operantis, posterior ex opere operato. Qui quidem valores, in sacramentis continentur. Vnus est etiam in adultis, cuius actibus suis dispositi, sacramenta suscipiunt. Istitis datur effectus valoris, non solum ratione sacramenti, sed ratione huiusmodi actuum: at verò in paruulis solum est valor ex opere operato sacramenti. Ut igitur in isto sanctissimo sacramento continetur certus gradus valoris ex opere operato, ut sacramentum est, sic etiam alius gradus continetur in ipso, ut sacrificium est, ultra actum sacrificantis, & ultra actum eius, pro quo sacrificatur. Valor autem iste est trium bonorum: valet enim ad bona temporalia, valet ad bona spiritualia, gratiam scilicet, & inspirationes, ac dispositiones; valet etiam ad satisfactionem pro peccatis debitis pro peccatis, ira ut sacrificium oblatum conferat bona corporalia, gratiam, & remissionem peccatorum, omnia sub certo gradu ex parte operati.

Modus autem, quo ista bona conferuntur, non vnus, sed triplex est. Conferuntur enim ista per modum meriti, per modum satisfactionis, per modum impetrationis, seu suffragij.

In primis per modum meriti de condigno confertur gratia augmentum, & per modum meriti de congruo confertur temporalia bona. Dicitur autem conferre per modum meriti, quia

offe-

offerens sacrificium hoc, ratione ipsius rei oblatae, meretur gratiae augmentum, sicut ratione ipsius oblationis, seu actus.

Confert etiam satisfactorie pro poena debita peccatorum, ita ut sacrificium hoc inducat remissionem poenae.

Confert etiam per modum impetrationis, quatenus offerens tale sacrificium, à divina clementia obtinet ea, quae peti, licet non de iustitia. Et hoc modo maxime prodest mortuis, quantum ad solam remissionem poenae, quando quidem mereri non possunt. Viuis autem duobus primis modis confert, & etiam tertio. Sed duo priores solum viuis competunt, nisi mortui, dum vixerunt, ad missas sibi celebrandas pecunias erogarunt. Tunc enim per modum satisfactionis, & iustitiae conferunt. Hoc enim est discrimen inter illos modos, quod duo priores, in quadam iustitia fundantur. Ultimus vero in divina tantum misericordia, quamvis haec numquam desit. Assimilatur autem proportionaliter celebrans Christo domino, se per mortem offerenti; Christus enim dominus, se Patri hostiam pro peccato offerens, à Patre meruit de condigno gratiam, licet non sibi, sed nobis meruit remissionem poenarum nostrarum, & impetrauit quod petiit: sic offerens in missa meretur gratiae augmentum, quia debet esse in gratia offerens, meretur etiam remissionem poenae, & impetrat, sed non infinite, ut Christus, sed finite, ut dictum est.

*De his, quibus sacrificium prodest.*

CAPVT VII.

Ostenso valore huius sacrificij, superest examinare quibus prodest, & qui consequantur hunc valorem. Et ut generaliter dicam, prodest offerentibus, & his, pro quibus offertur, quamvis non uniformiter.

In cuius gratiam scito, multos esse offerentes, & multos, pro quibus offertur.

Offerentes enim sunt in triplici differentia, quidam immediati, & proximi & huiusmodi sunt soli Sacerdotes celebrantes: quidam mediati, & remoti, & huiusmodi est totus populus Christianus: omnes enim vnum corpus faciunt mysticum & mediatè celebrant per Sacerdotem, qui nomine totius po-

puli Christiani celebrat: quidam medio modo se habent: aliquo actu conueniunt erga celebrationem: & hi sunt magis, vel minus propinqui, vel circumstantes, qui intersunt sacra, & offerunt cum Sacerdote. Post hos propinquior est choro, & qui inferuit: post hos diaconus, & subdiaconus: postque hi, qui Sacerdotem alit, & sustentat: propinquissimus est, qui peculiarem dat ecclesiam, vt Missa celebretur. Omnes isti sunt offerentes, & omnes hi, si in gratia sunt, merentur vnicuique in suo gradu, secundum quod magis, vel minus propinquus est. Dico, si in gratia sit: nam in peccato existentes, nihil sibi merentur, nisi forsan de congruo. Non autem his omnibus idem est meritum: nam qui in gradu sunt tantum, nec aliquem actum circa illam celebrationem exercet, sed solum habitualiter celebrant, consequuntur de condigno remissionem aliquam poenae debitae pro peccatis, & his prodest ad satisfactionem quodcumque sacrum celebratum. In gratia augmentum non confert: nam gratia non confertur sine actu nostro dispositiuo: Cum igitur illi non operentur, non merentur gratiae augmentum. Qui vero actu aliquo concurrunt, non solum remissionem poenae, sed gratiae augmentum de condigno consequuntur, quamuis magis, vel minus, potius propinquiores sunt, vt diximus, & hoc vltra illam gratiam, quam quisque suo actu proprio meretur: quo ad offerendum concurrunt. Vbi aduertendum est, quantum perdant, qui missam non audiunt, & qui in peccato sunt mortali: hi enim maxima poenarum remissione se priuant. Aliqui volunt, quod etiam offerentibus remotis aliquis gradus gratiae augmentetur ex opere operato, & id probabile est. Aduerte tamen, quod quantumcumque numerus offerentium multiplicetur, non ob id quisque minus meretur in suo gradu: quia tale sacrificium habet se ad singulos, ac si à singulis per se in suo gradu offerretur: sicut plures suscipientes sacramentum non perdunt quicquam de valore, quia singuli integrè suscipiunt. Hoc igitur est ex parte offerentium.

Illi vero, pro quibus sacrificium offertur, in duplici se habent differentia: quidam, quibus ex intentione vniuersalis Ecclesiae valor applicatur, vt totus populus Christianus, & adhuc propinquius Reges, Imperatores, Pontifices, & capita Christianae Reipubl. pro his enim omnibus, ex intentione Ecclesiae, offert Sacerdos quisque: quidam autem sunt, pro quibus offert Sacerdos ex propria intentione sua, quam applicat

vni, vel multis: & hoc vel ex propria voluntate, vel quia illi aliquo actu ad id concurrunt, vel erogantes Ecclesiam, vt pro ipsis celebretur, vel erogantes, aut petentes, aut iubentes. Aliqui volunt, quod his omnibus, si in gratia sint, conferatur augmentum gratiæ de condigno. Et hoc probabile est, sed magis nobis placet, quod non, quia gratia nunquam datur, nisi operanti actualiter, vel virtualiter circa tale opus: sed pro quibus ex intentione Ecclesiæ applicatur, prodest ad meritum de congruo bonorum temporalium, & meritum de condigno remissionis poenarum, si in gratia sint, & impetrant etiam diuinas motiones, & auxilia, quibus gratiâ confert; sicut etiam offerentibus remotis. Illis vero, qui aliquo actu concurrunt, etiam ad gratiæ augmentum, si in gratia sint. Ex quo collige, quanta sit copia gratiæ in hoc mirabili sacrificio: vt cum conferat multa ex opere operato offerentibus in suo gradu, adhuc supersit magna copia, vt conferatur his, pro quibus offertur, præsertim hoc etiam, si omnibus in gratia existentibus gratia conferatur, vt dicit illa citata opinio, quam tenet doctissimus Soto lib. 4. sent. d. 13. q. 2. art. 1. & aliqua ex parte videtur conformis esse S. Thom. 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. probabilius tamen est quod diximus.

*De resolutione trium dubiorum.*

CAPVT VIII.

EX his, quæ diximus, facile erit tria dubia in hac materia præcipua resolvere.

Primum est, si missa mali Sacerdotis, & existentis in mortali peccato aliquid valoris habeat. Ad quod dubium cum distinctione respondere oportet. Vt enim diximus, in Missa duo sunt, & sacrificium ipsum, & orationes, seu preces, quæ in ipsa missa funduntur. Prætermitto autem valorem ex deuotione ipsius offerentis.

Si sacrificium consideretur, quamuis Sacerdoti ipsi nihil conducat, si in cõscientia peccati mortalis sit, sed potius mors sit maior, tamen, quia valor est in ipso sacrificio ex opere operato, prodest alijs offerentibus, & alijs, pro quibus offertur. nec hi suo fructu, vt diximus, defraudantur, nec iste valor est maior in bono Sacerdote, quam in malo, sicut collatum Sacramentum.

Si verò

Si verò considerentur orationes, & preces, tunc possunt simpliciter considerari. Aut sunt ipsius Sacerdotis, vt personæ quædam particularis, aut vt est representans Ecclesiam, in eius nomine celebrat, & offert. Si priori modo considerantur, absque dubio nihil valent, nec ipsi nec alijs, cum sit in mortali, vnde ex hac parte magis valet Missa boni, qui ex parte precum à Deo magis exauditur.

At verò cum est offerendus nomine Ecclesiæ, valent etiam æqualiter cum bono.

Omnibus igitur perpensis, plus valet Missa boni sacerdotis, non solum quia illi prodest, mali autem Missa illi non prodest, sed etiam, vt respectu aliorum, ex parte precum & orationum, quia valent non solum vt Ecclesiæ nomine procedunt, sed etiam vt sunt ab homine Dei amico, & grato.

ALTERVM dubium est. An defunctis, quibus Missa non prodest, nisi ad remissionem pœnæ, & hoc per medium impetrationis, plus prosit Missa de *Requiem*, quam alia Missa quævis. Ad quod iuxta prædicta facile respondetur: ex parte enim sacrificij æque prodest vna ac altera; tamen ex parte precum, plus prodest de *Requiem*; quia in ea orationes, & preces ad ipsarum animarum liberationem directè funduntur, tam ex intentione Ecclesiæ, quam ex intentione propria Sacerdotis.

Tertium dubium est, an, cum quis offert pro pluribus, singulis prosit, ac si pro vno tantum offerretur. Ad quod aliqui dicunt, inter quos est Caiet. quodlibet. primo, quæst. 18. Schæper 3 part. quæst. 79. art. 5. quod ita prodest singulis simul, ac si pro vno solo offeratur. Sed oppositum est cum communis sententia tenendum, puta quod nec ad pœnæ satisfactionem, nec ad gratiæ augmentum, quod datur ex opere operato, vt prosit singulis simul, ac si vni applicaretur. Scot. quod lib. 2. multo minus, dum pluribus applicatur. Ratio est, quia gradus gratiæ, & satisfactionis in hoc sacrificio contentus, finis est, sicut in ipso, vt sacramentum est. Vnde fit, vt in pluribus diuisus mihi obueniat singulis. Sic, si ego ieiunare pro quatuor, minus prodest ad satisfactionem singulis, quàm vni prodest, si pro vno tantum ieiunassem. Loquor autem de valore ex opere operato.

Hinc fit quod Sacerdos recipiens elemosinas plurimum, & vno sacro eis satisfaciens, cum tamen singuli darent pro vno sacro, peccat mortaliter, quia defraudat illos sua satisfactio-

tis-

tisfactione, & fructu ex opere operato, cum ad hoc sustentationem acceperit ab eis. Nauar. c. 25. num. 95. vbi tenet contra Soto, qui lib. 9. de iust. qu. 3. art. 1. tenet, quod pauper potest saltem duas elemosynas recipere pro vna missa ad sustentationem: sed contrarium dicit cum Nauar. non enim perdit ius ille ob istius paupertatem, nec Missa ordinata est ad sustentationem. Vide Tabie. ver. b. Restitutio §. 32. Nota tamen quod cum pro aliquo celebratur in particulari, vel aliquibus, non excluditur pars valoris, quæ ex intentione Ecclesiæ applicatur alijs, vt diximus, nec excluditur etiam pars quædam, quæ Sacerdoti obuenit: ita vt merito diuidi possit valor in tres partes: in gradum communem, qui ea intentione Ecclesiæ applicatur, etiam gratis, si ipsi sint dispositi: & gradum proprium Sacerdotis: & medium, qui ex intentione Sacerdotis potest sibi, vel alijs applicari.

*De remedijs erga ea, quæ in Missa accidunt.*

CAPVT IX.

**M**ulta accidere possunt in Missa pericula, quib. prompta debet celebrans habere remedia: quamuis autem multa ista sine, ad aliqua tamen principalia reduci possunt, per quæ de alijs, si quando accidunt, poterit iudicari.

Primum periculum est, cum in altari Sacerdos impeditur, quo minus possit sacrificium absolueri, vel quia moritur, vel quia fit demens, vel quia morbo aliquo prosecutionem impediente corripitur. Et tunc cum distinctione oportet respondere: vel enim illud accidit ante consecrationem, vel post. Si ante, non debet alius Sacerdos perficere: at vero, si est post consecrationem, tunc Sacerdos alius potest substitui, qui absoluat, continuando a parte relicta ab alio. Hoc enim habetur 7. q. 1. can. nihil, ex Concilio Tolitano: in quo casu potest Sacerdos, etiam non ieiunus, tale sacrum perficere: Syluest. verb. Eucharistia 2. §. 12. tenet quod debet esse ieiunus. Oppositum tenet Soto in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 6. cum non adest alterius copia. Minus enim est hoc præceptum de ieiunio, quam de sacro perficiendo. Attendetamen quod in Concilio non ponitur obligatio Sacerdoti, vt faciat, sed tantum facultas conce-

ditur.

ditur. Vnde fit, si esset Sacerdos concubinarius ibi, vel alius peccato mortali existens, nisi esset aliquod scandalum graue, quod sequeretur ex omissione sacri imperfecti, non debet celebrare: quod si virgeat scandalum, tenetur habere contritionem, immò etiam confiteri, si fieri possit. In eo tamen casu alius non existens in conscientia peccati mortalis tenetur celebrare. Quòd si illud sacramentum maneret imperfectum, tunc sacramentum debet reponi in sacrario; & similiter sanguis, donec altera die ab alio Sacerdote sumatur. Quòd si interim species vini corrumpantur, tunc corruptæ debent effundi in piscinam.

Alterum periculum est, cum aliquis in sacro recordatur cuius commissi peccati, cuius non habuit poenitentiam, nec illud est confessus; vel recordatur se non esse ieiunum, tunc adhuc eadem distinctione oportet procedere. Si enim post consecrationem, debet poenitere, & prosequi, quamuis peccatum, cuius recordatur, sit graue, etiam cum excommunicatione, vel irregularitate. Nec inde contrahit censuram, vel peccatum, si oblitus fuit inculpabiliter: si verò est ante consecrationem, tunc si tantum est peccatum, potest poenitere, & celebrare: tamen si est excommunicatus, vel irregularis, & non ieiunus, debet recedere, nisi sequatur scandalum circumstantium.

Tertium est, quando aliquid incidit in sanguinem, impediens sumptionem, quod tripliciter potest esse.

Aut est venenum; quod appositum fuit ignorante Sacerdote, & post consecrationem est admonitus; tunc non debet sumere, sed nouum vinum apponere, & consecrare. Illud autem conseruandum est in sacrario, donec species corrumpantur, & corruptæ in piscinam proijciendæ sunt.

Secundo potest etiam esse quòd aliquid aliud venenosum incidat, & similiter est tunc faciendum.

Tertio potest esse quòd aliquid aliud incidat non venenosum, & tunc, si est animal horrorem incutiens, vt vespa, vel quid simile, est extrahendum, & lauandum, & lorio sumenda post sanguinem; animal autem comburatur, & cineres in loco sacro seruentur. Quòd si non est animal horribile, vt pulix, vel musca parua, deglutatur cum sanguine: si tamen hæc omnia accidunt ante consecrationem, poterit effundere tale vinum, & nouum apponere.

Quartum est, cum Sacerdos in altari recordatur se non apponuisse aquam vino: tunc, si est ante sanguinis consecrationem,

debet



debet apponere ; si verò post, nullo modo: nec enim est de essentia sacramenti. Quòd si vinum non esset appositum, tunc necessariò esset apponendum ; quamuis post verba consecrationis, quæ iterum sunt repetenda : & hoc etiam fiet, etiam si sit postsumptionem hostiæ, quamuis aliqui velint, quòd debet etiam noua poni hostia consecranda ; sed non est necessarium. Vide can. 32. Concil. Constant. vbi dicitur esse traditio à Iacobo fratre Domini, quòd vino apponeretur aqua.

Quintum est, quando accidit aliquod miraculum, quòd corpus appareat post consecrationem in specie carnis, aut sanguinis in propria specie, tunc certissimum est, non debere sumi, sed conseruari in sacrario; tamen non obligatur Sacerdos ad nouam consecrationem, vt habet S. Thom. 3. p. q. 82. art. 4. quia miraculum liberat ab obligatione perficiendi Sacramentum. Nam, vt ibi dicit Caietanus, potest, si vult, iterum consecrare.

Sextum est, cum aliqua sanguinis gutta cadit : tunc multipliciter potest accidere hoc, de quo vide de consecratione dist. 2. can. si per negligentiam, vbi præciditur, quòd si cadat, idque per negligentiam, in tabulam, lambam, & radat tabulam : si in terram, comburat terram ; & cineres seruentur in loco sacro, & pæniteat diebus quadraginta: si verò cadit super altare, sorbeat, & pæniteat tribus diebus. Si supra primum linteam, & perueniat ad secundum, quatuor diebus : si vsque ad tertium, nouem diebus: si vsque ad quartum, viginti, & tunc linteam lauetur ter, & lotio recondatur iuxta altare, vel fumatur à ministro. Modò solet abscindi illa pars lintei, & comburi, & cineres seruari. Ista pænitentia imposita erat ieiunij, & abstinentiæ celebrando, sed non est modò in vsu ; licet grauius peccet, cui id ex negligentia accidit, vt in eadem dist. dicitur de vomitu. Cui enim vomitus accidit per ebrietatem, vel voracitatē, si clericus est laicus, pæniteat quadraginta diebus : si monachus septuaginta: si Episcopus, nonaginta. modò non est in vsu pænitiæ; sed est graue peccatum sic accidere. Quòd ex infirmitate, olim pænitebat septem diebus, modò non : sed est peccatum, quando timebatur probabiliter vomitus, & celebravit. Cum autem accidunt ista tria, tunc quærendæ sunt particulae, si quæ possunt inueniri, & conseruandæ in sacrario.

Rursus septimò, contingit aliquando vt hostia cadat à manu in calicem, ante fractionē, vt nulla possit fieri fractio pro-

pter

pter humiditatem hostiæ, tunc continuandum est sacrifici-  
bilque repetendū, quia illa non sunt de essentia sacrificii, sed  
si commode posset fieri; tunc saltem in residua parte  
debet fieri signa, & fractiones.

Octauum aliquando circa verba accedit, vt proferens pro-  
tus obliuiscatur, an talia protulit. Quod si est aliquod verbum  
ex alijs, præter verba consecrationis, postquam iam alia verba  
suecesserunt, non est curandum repetere. Tamen de verbo  
consecrationis difficultas est, & non quodcumque dubitauerit  
cit, vt repetatur, nam multa proferuntur certo ex vi uerborum  
non meminimus an fuerint prolata, si supra id reflectatur.  
Vnde scrupulosi debent multum quiescere in hoc: licet enim  
non recedant, non ob id statim repetenda sunt. Cum tamen  
alicui uideatur certum multum, se non dixisse, & valde pro-  
babiliter dubitat, potest repetere sub conditione; nec est vitium  
periculum, licet accidat quod semel proulerit.

Nonnum tandem accidere potest aliquid impediens, ne so-  
luantur sacrum, vt si, celebrante Sacerdote, adueniat aliquis  
ipsum volens occidere, vel inimici, seu hostes in prælio, in  
domus corruat: & tunc, si est ante consecrationem, potest ab-  
cedere; si uero post, licet ei statim consumere. Quod si uerbo  
do, poterit Sacramentum cum corporalibus extrahere. Quod  
si non, aliqui dicunt, quod subeat mortem: sed ego non credo  
quia nulla ratio, nec textus id probat, sed licet ei discedat  
nam si permaneat, occiditur; & adhuc sacrificium manet  
imperfectum: melius ergo est, quod maneat sic, & saluetur ho-  
mo. Attende tamen, quod si aliquis in contemptum uideri uo-  
let eum occidere, si à sacro non desisteret, tunc teneatur pro-  
pter fidem continuare, & mori, non solum post consecra-  
tionem, sed etiam ante. Hi sunt casus, qui frequentiores sunt  
in hac parte.

*Quid diuinum officium dicatur.*

CAPVT X.

Sacerdotis officium primum, non solum sacrificare, sed  
etiam officium diuinum persolvere, esse diximus. Tracta-  
tum est de sacrificio, nunc de officio tractare oportet. Atque  
illud primo se offert explicandum, quid sit diuinum officium.

Vide

Videtur autem posse sic describi. Laus Dei voce expressa, per Ecclesiæ institutionem determinata.

In qua descriptione sunt quatuor partes considerandæ.

Prima est, *Laus*. Est autem laus, manifestatio quædam excellentiæ alicuius. Cum enim alicuius virtutes propalamus, ipsum laudamus. Est autem officium istud, laus quædam & manifestatio excellentiarum alterius.

Alter pars est, *Dei*. Non enim diuinum officium est laus Regis, vel Imperatoris, sed omnipotentis Dei: cum enim ipse excellentiam exprimimus, ipsum laudamus. Aduerte tamen, quod quamuis officium sit Beatissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum, & mortuorum, tamen præcipue est Dei: nam ipsum in suis Sanctis laudamus, iuxta illud, *Laudate Dominum in sanctis eius*. Quid est aliud, Beatissimæ Virginis virtutes & gratia exprimerè, quam Dei virtutem & misericordiam, à qua omne bonum est, extollere? Quid est animarum purgatorum poenas referre, quam Dei iustitiam cum clemètia magnificè? Dicitur ergo optimè diuinum officium, *Laus Dei*. Nam in omni bono præcipue laudatur, & laudandus est ab omnibus Deus.

Tertia pars est, *Cum voce expressa*. Est enim duplex laus: altera quidem interna, altera externa. Interna est, quæ fit corde, & nihil aliud est, quam recognitio quædam mentis, excellentiæ, & virtutis alterius, cum affectu quodam ex inclinatione in ipsum. Vnde Deum laudamus interius, quando ipsius excellentias mente recogitamus, & affectu simul in ipsum ferimus. Externa autem est, quæ fit ore, & voce ipsa manifestante internam. Bona quidem interna est, & melior quam sola externa; verum si externa coniungatur cum interna, efficitur melior quam altera per se. Diuinum igitur officium est, non solum laus interna, sed & externa, quæ fit voce, atque prolatione. Vnde, qui diuinum officium persolunt, non adimplent præceptum recitandi, nisi ore proferant, quantumuis mente laudent, quoniam necessaria est prolatio vocalis. Vnde attendere debent qui missitando recitant, vt sic proferant, vt vox sit plene articulata. Attendere etiam opus est, vt non de se interna, qui etenim solum voce laudat, & vult non attendere mentem, aduertendo se non attendere, non implet præceptum, potestque illi dici, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eius longe est à me* Esaia cap. 29. Dices, cum Deus sit scrutator cordium, & qui non indiget voce, vt intelligat, & penetret

occulta cordium, quorum petit hanc vocalem laudem: eo illud optimis rationibus esse factum.

Prima, vt noster affectus magis exciteretur. Atque etenim laudantis magis excitatur ad deuotionem voce, quae est velut quidam stimulus ipsius, excitans & prouocans ad actum.

Secunda, vt aliorum affectus etiam prouocentur. Multum enim animi accenduntur, cum aliorum clamores, & voces ad Deum percipimus: propter quod institutum est, vt essent catus in Ecclesia, & etiam diuersorum musicorum genera.

Tertia, vt pluribus modis laudetur Deus, cum pluribus modis sit excellens, & pluribus modis simus ei debitores.

Quarta, vt sit manifesta distinctio inter ecclesiasticos, & seculares, etiam in voce ipsa.

Tandem quinto, propter facilitatem: nam sola mente ore, seu laudare continuè per aliquod tempus, difficile est, quae necessaria est actualis attentio; ore verò non est ita difficile: nam sufficit tunc virtualis attentio, cum deest actualis per inuentionem aliquam. Est igitur officium, laus Dei extremiorum expressiua.

Quarta pars est, *Secundum Ecclesiae institutionem determinata*. Non enim semper, cum Deum voce laudamus, diuinum officium celebramus, sed cum illa voce laudamus, quae est ab Ecclesia ad hunc finem determinata, scilicet per Psalmos, Antiphonas, Lectiones, & reliqua, quae continentur in officio. Attende quòd dicitur, *determinata*. Nam Ecclesia non instituit laudare Dominum ore: est enim hoc secundum ius naturae, ita omnes gentes suos falsos Deos etiam clamoribus laudant, & Iudaei hoc etiam faciebant, & in primitiua Ecclesia ab Apostolis id fuit traditum sed Ecclesia determinauit hunc modum laudis praedictum. Ecce igitur quid diuinum officium sit. Quae, quare dicitur Officium? Respondeo officium dici ad proprium, quo vnusquisque, vt in proprio, & distincto ab alijs exercitio versatur. Est autem munus hoc personarum ecclesiasticarum, in quo versari debent. Nihil est ita proprium Christiano, quam Deum verum laudare, nihilque magis durabile: in caelo enim sacrificiū cessabit, diuina tamen laus cessare nequaquam debet. *Beati enim, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Cuius oppositum facient damnati in sempiternum. Cum igitur hoc sit proprium, ac perpetuum Christiano, laus dicitur officium: & quae

Dei est laus, dicitur officium diuinum. Dicitur etiam hora canonica, à tempore, in quo fit ista laus: quia enim canones determinant certa tempora, & horas, quibus determinatæ laudes Deo sunt dandæ, ob id ipsa laus hora canonica dicta est.

*Quotuplex sit istud officium.*

CAPVT XI.

Septem horæ canonice constitutæ sunt. Matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorium. Est enim numerus septenarius perfectus. Septem enim sunt ætates hominis, quibus omnibus Deus est laudandus: Infantia, Pueritia, Adolescentia, Iuuentus, Virilitas, Senectus, Decrepitudo. Septem mundi ætates: septem dona Spiritus sancti: septies cadit iustus: septies Dauid laudabat in die Dominum: septies etiam a nobis petit sic laudari. Diuiditur in duas partes horæ canonice, in diurnas, & nocturnas. Nocte enim, & die laudare Dominum debemus, cum ab eo continue bona accipiamus. Horæ nocturnæ sunt, Matutina: Matutina enim, quæ aurora est, sumitur pro tota nocte per Synecdochem. Diuidebatur olim nox in quatuor quartas. Singulæ tribus horis constabant, incipiebantque ab Aue Maria noctis, scilicet post Solis occasum, (In Italia ex vigesima quarta) Et dicebantur istæ quartæ Vigilia noctis. Prima vigilia durabat per tres primas horas, quibus finitis, incipiebatur Matutinum, quod est diuisum in tria nocturna: & primum dicebatur in secunda vigilia, quo finito, ille ibat cubicum, & alij surgebant. Tertia vigilia scilicet mediâ nocte, & dicebant secundum nocturnum. Alij verò surgebant pro tertio, in quarta vigilia. Quibus finitis, pulsatis campanis, dicebatur, *Te Deum laudamus*, & tunc omnes adorant similiter cum laudibus. Nec mireris, quod singula nocturna durabant tres horas, quia dicebatur nocturnum diei, Diuæ & beatæ Virginis, & mortuorum. Diebus solennibus adesse solebat populus secundo, & tertio nocturno cum laudibus, modo iam non est in vsu, sed vnico tractu dicitur ab omnibus ministris; quamuis varij sint modi. Aliqui in secunda, aliqui in tertia vigilia dicunt. Horæ verò diurnæ statim dicebantur.

Erat enim dies in alias quatuor quartas diuisus, & in prima primæ quartæ dicebatur Prima: in principio Secundæ Tertie in principio tertie, Sexta. Quando erat iam merides dicebatur Sextam, & Primam, dicebatur sacrum solenne. Post prandium Nona, post Nonam Vesperæ, & Completorium, cum iam erat nox. Et sic totus dies in diuinis laudibus agebatur. Significat autem istæ septem horæ Christi passionem. Matutina significat, cum in horro fuit à Iudæis comprehensus, & ligatus. Prima, cum in domo Caiphæ fuit alapis caesus, & scurris scædatus. Tertia, cum fuit lata mortis sententia. Sexta, cum cruci affixus. Nona, cum mortuus, & eius latus lancea aperit. Vesperæ, cum depositus de cruce. Completorium, cum repositus in sepulchro. Quæ omnia antiqui his versibus, vti in memoria in hæcant, descriperunt.

*Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,  
Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis.  
Sexta cruci nequit latus eius Nona bipertit.  
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.*

*De obligatis ad diuinum officium persoluendum.*

## CAPVT XII.

Quatuor sunt genera personarum, quæ tenentur officium persolvere: clerici, beneficiati, monachi, moniales. De singulis per se oportet tractare.

In primis, Non quiuis clericus tenetur recitare diuinum officium, nisi sit subdiaconus, vel diaconus, vel Sacerdos, cum si beneficium non habeant, e. dolentes de celebr. miss. Quæ ratio in minoribus est constitutus, neque beneficium habentia tenetur recitare horas canonicas; quamuis Panorm. ca. de celebr. miss. nu. 6. contrarium sentiat, ac communis opinio, respicmet faretur, contrarium docet, quæ est tenenda, cum non sit tex. aut ratio, quæ faueat Panorm. & consuetudo facit pro communi opinione.

Secundo, recitare tenentur, qui beneficium habent ecclesiasticum, etiam si clerici simplices sint, & solam tonsuram primam habeant: ita habetur d. 42. can. fin. & Panorm. ca. dolentes, de celebr. miss. n. 4. affirmat in eo omnes conuenire. Per beneficium autem intelligo quemcumque redditum ecclesiæ

ficium

ficum, qui habetur sub titulo clericali, nimirum, qui non potest nisi clericis dari. Vnde non solum obligantur, qui curata habent beneficia, aut simplicia, sed etiam qui habent præfimonialia, & patrimonialia, quia hæc sunt tituli clericalis. Qui tamen habent pensiones, aut alios redditus ecclesiasticos, qui etiam secularibus conceduntur, non tenentur hoc vinculo. Aduertendum tamen est, quod aliter obligantur simplices clerici ad recitandum, aliter beneficiati, siue sint in maiori ordine constituti, siue non. Simples enim clerici omittentes absque legitima causa officium vno tantum die, vel aliquam horam, vel totum, peccant mortaliter; ad nullam tamen obligantur restitutionem faciendam. Qui vero beneficiati sunt, & mortaliter peccant, & ad restitutionem aliquam redditus percepti tenentur, Concil. Lateran. sub Leone sess. 9. §. statuiimus. Nauar. c. 25. num. 122. Tab. verb. beneficium 11. Quæ restitutio consistit in aliquibus dictis.

Primum sit, iuxta decretum Concilij Lateranensis, cuius tenor est: nullus, ante sex menses primos beneficij habiti, tenetur ad restitutionem, quamuis non recitet. Explico: confertur alicui aliquod beneficium, quodcumque sit, sub titulo clericali, si non recitat per sex menses primos, mortaliter quidem, & multipliciter in singularum horarum omissione peccat, ad nullam tamen obligatur restitutionem.

Secundum dictum sit, transactis sex mensibus, siue in eis recitauerit, siue non, in posterum obligatur ad restitutionem, nisi recitet, non quidem omnium fructuum correspondentium pro diebus, vel tempore omissionis, sed pro aliqua parte. Explico: aliquis habet redditus trecentorum sexaginta aureorum, singulis diebus aureus respondet, prætermittit vnum diem officij, iste non tenetur ad restitutionem vnus aurei: vel si prætermittit vnam horam, non tenetur ad restitutionem septime partis aurei; hoc enim esset, si totus redditus daretur pro officio: sed non sic est: datur enim etiam pro alijs ministerijs ecclesiarum, & pro sacrificijs; vnde vna pars obuenit pro officio, hæc restituenda est, non est autem taxata: credo tamen, non esse minorem tertia parte.

Tertium dictum est, ex eodem concilio, quod ista restitutio est facienda vni duorum, aut fabricis ecclesiarum; quarum beneficia possident, aut pauperibus. Vnde fit, quod possit aliquando accidere, vt ille, qui tenetur restituere, sit aliquis pauper, vt meritò possit ei ecclesia conferri, tunc iudicio cōfesso-

ris posset iste sibi referuare; dummodo tamen iste occasio non sumat vacandi ab officio. Vna tamen hic est notanda exceptio, quod quando restitutio est distributionum, quas canonici, vel beneficiati ex ministerio, vel choro habent, tunc restitutio debet fieri, nisi ipsis canonicis, vel beneficiatis, qui officio interfuert, inter quos solent tales redditus distribui: nam quando res habet certum dominum, non debet reddi pauperibus. Idemque dicendum est de redditu canonicatus vltra distributiones; qui sumitur ex communi massa, quæ solet intra canonicos diuidi: denique quædo redditus sunt ex aliquo communi sumptu, qui solet in plures diuidi magis, vel minus, prout illa massa maior vel minor est, tunc restitutio ipsis etiam beneficiatis, vel canonicis facienda est.

Quartum dictum est: non quotiescumque aliquis mortaliter peccat circa officium soluendum, obligatur ad restitutionem. Verbi gratia, si recitet absque aduertentia, ita ut non abuertere, mortaliter peccat, non tamen tenetur restituere. In choro etiam potest ita confabulari cum alijs, & immodestus esse, ut peccet, non tamen tenetur restituere; dummodo tamen non prætermittat officium. Vbi notare oportet circa eos, qui tarde ingrediuntur chorum, & tamen accipiunt distributiones, quod si isti aliqua rationabili causa id faciunt, idque ratio, non tenentur: quod si absque vlla causa id faciunt, vel frequenter faciunt, non excusantur; dummodo tamen sit omni iustitiam cuius partis notabilis officij.

Tertium genus eorum, qui recitare tenentur, sunt monachi, seu religiosi: hi, licet non sint in maiori constituti ordine, obligantur officio: & quamuis non sit de hoc vllus canonicus, ait Sor. lib. 10. de inst. q. 5. art. 3. communis tamen opinio tenet, ipsum obligari propter consuetudinem. Per monachum tamen siue religiosum intelligere oportet professum, & cuius est choro deputatus: nouitij enim non tenentur secundum opinionem communem: & conuersi, siue laici, ut vocant, qui sunt ad ministeria corporis deputati, licet professi sint, non tenentur. huiusmodi sunt Iesuata, & illi, qui ex instituto non tenentur ad officium hoc: quamuis Tabi. verb. hora, §. 8. tenentur oppositum, probabilius tamen est primum, cum ad chorum non obligentur.

Quartum genus est Monialium: hæ enim tenentur ad officium secundum omnes, sicut monachi.



*De circumstantiis circa diuinum officium  
obseruandis.*

CAPVT XIII.

**S**unt circumstantiæ obseruandæ in diuino officio per-  
soluendo.

Putà, numerus, ordo, qualitas, tempus, locus, modus. In primis numerus debet esse septenarius: singulis enim diebus sunt septem horæ persoluendæ, & vnâ absque causa prætermittere, est mortale; dum modo non sit ex aliqua obliuione. Quod si aliquo die prætermisit totum officium, vel partem, peccauit quidem, sed non tenetur die sequenti repetere. Inno. c. l. de celebr. Miss. Silu. verb. hora, §. 17. debent autem istæ septē semel in die persolui, non bis, vel ter. Vnde qui in choro canendo, totum, aut partem soluit, non tenetur illud particulatim repetere. Quod si in choro prætermisit, tunc tenetur.

Rursus, qui per Romanum breuiarium recitant officium, non obligantur recitare officium Beatæ Mariæ Virginis, neque septem Psalmos, neque officium mortuorum diebus, quibus solet recitari, nisi in choro, & in die omnium defunctorum, vt constat ex motu proprio Pij Quinti. Ordo harum horarum non est in præcepto, cum priuatim extra chorum dicuntur: ordinem tamen absque vlla necessitate peruertere, veniale est peccatum. Cum verò acciderit, vt in choro dicantur horæ posteriores, ipse verò non persoluerit priores, bene faciet, si adfuerit choro, & postea priuatim dixerit priores. Similiter erit, cum ab aliqua persona alicuius momenti inuitatur ad simul persoluendas horas aliquas posteriores, potest quidem licite cum illo persoluere, & postea dicere priores prætermittas. Similiter ob aliam rationabilem causam occurrentem, vel propter obliuionem.

Qualitas est obseruanda etiam, Pro cuius intelligentia, sci-  
to esse multiplex officium. Vltra enim Romanū, sunt in singulis ferè ciuitatibus, seu Episcopatibus propria officia; & rursus, singulae religiones habent suos modos recitandi proprios. Adhuc enim officium aliquando est de feria, aliquando de aliquo Sancto: dubitare ergo posset aliquis de obligatione horarum, an monachi teneantur ad sua officia sub mortali, & an clerici vnius Episcopatus possint recitare Romanū, vel aliud alterius Episcopatus absq; vlla facultate. Et quidem qualitas non

obligat sub mortali. Sylu. verb. hora, §. 1. & 15. Caiet. verb. c. 2. Armil. verb. hora, §. 7. immò docent, quòd consuetudinem obliget sub decencia, non sub peccato. Mihi autem non probatur; crediderim enim, qui tenentur recitare Offitium Romanum, & scienter non recitant, iuxta prescriptam formam Ecclesiæ Romanæ, aut particularis Ecclesiæ, mortaliter peccare, loquor quâdo in particulari recitantur horæ: nam de hoc non est dubium teneri singulos ad cantandum officium iuxta qualitatem suam; nec licet sine dispensatione suorum superiorum mutare. Vnum tamen notandum est, cum ex inadvertentia officium mutatum est; vt, qui celebraturus erat de sancto, celebrat de feria, vel è contra, tunc non est opus omnino repetere, sed solum quod fuit particulare festo, vel feria, vt Hymnus, Antiphonæ, oratio, tria lectio, si fuit Matutinum, vel oratio in alijs horis. Hoc autem est in officio nouo: nam in veteri totum est proprium, & totum debet repeti. Quando verò aliquis psalmus, vel aliud prætermisum est obliuione, vel alia causa, sufficit repetere tantum illud; securius autem est, vt quisque clericus suo Episcopatu, & monachus suæ regulæ se accommodet.

Circa tempus, dico, quantum ad horas publicas, seruandum esse tempus proprium horarum, seu potius standum esse consuetudini obseruatæ in Ecclesijs circa hoc: & similiter priuilegijs circa Matutinum concessis. Quantum vero ad eos, qui priuate horas recitant, dico, diem computari ab occasu diei præcedentis, vsque in mediam noctem sequentis: ita vt, qui hoc toto tempore horas soluerit, non peccet mortaliter; dummodo solum Matutinum dicat post occasum diei antecedentis, & non horas alias, nisi post mediam noctem: quamuis etiam Matutinum possit dicere per totum diem. Verbi gratia, horæ diei Veneris possunt recitari ab occasu diei Iouis, vsque in mediam noctem Veneris. Qui toto hoc tempore non soluit, peccat mortaliter; qui verò persoluit, licet omnes dicat nocte Veneris, non peccat mortaliter, sed venialiter grauius; si sine causa id faciat.

Hoc tamen obseruandum est, quòd, quamuis Matutinum dicere possit statim post occasum Iouis, non tamen dicere potest horas, nisi post mediam noctem, incipiente iam die Veneris. Vt verò horæ dicantur absque omni peccato, sunt obseruanda tempora, nempe vt Matutinum dicatur post occasum, vsque ad principium Solis diei Veneris. Possunt

autem

autem separari laudes à matutino, vt dicatur noctu matutinum, & iam incipiente die laudes. Prima ante Solis ortum dici potest. Tertia aliquanto post ortum Solis, prope prandium, Nona, Vesperæ etiam, & Completorium post prandium dici possunt, quamuis Completorium aliquando prope noctem.

Aliqua tamen causa rationabili, vel occupatione legitima, potest iste ordo perverti, & simul possunt recitari, ante, vel post prandium, sed melius est ante prandium ipso mane recitare vsque ad Nonam; & post prandium Vesperæ cum Completorio. Laudabilius etenim est antepone, quàm postponere illud namq; magis indicat prouidentiam, hoc verò negligentiam. Tempore quadragesimali, qui priuatim diceret Vesperas post prandium, nequaquam peccaret mortaliter, què admodum sentit Silu. ver. hora, §. 10. quod si sine vlla causa fieret, peccatum veniale esset. Omnia autem ista per priuilegium cessant ab obligatione.

Circa locum, dico, Horæ publicæ in Ecclesia dici debent. Priuatae non habent locum determinatum, possunt in Ecclesia, vel domi, vel in agro, vel in via dici. Laudabilius tamen est vt vnusquisque domi habeat locum aliquem secretum, vel oratorium, in quo dicat officium, vt cum attentione, & reuerentia maiori dicere possit.

Circa modum, obseruare oportet, vt dicat attentè, reuerenter, deuotè. Attendere quidem debet, vt aduertat quæ dicat. Multiplex tamen est aduertentia. Prima circa verba, vt singula proferat debite; Altera vt intelligat sensum verborum Tertia, vt attendat finem orandi, scilicet, consideret se Deo præsentem, & cum ipso verba facere.

Prima attentio, seu aduertentia est necessaria. Vnde qui, aut verba non profert, aut ex nimia acceleratione malè profert, aut qui cum alio recitans non expectat fines versuum, sed anticipat acceleranter, non implet præceptum. Neque similiter qui cum similibus recitant, neque reprehendunt. cap. dolentes, de celebratione Missarum.

Secunda aduertentia non est necessaria: nam multi non intelligunt in particulari, quæ verba intendunt.

Tertia non est necessaria, sed magnæ utilitatis, & quam possunt etiam ignari sensus verborum habere. Est autem attentio illa verborum necessaria, aut actualis, aut virtualis. Actualis dicitur, quando actu aduertit: virtualis, cum inceptit

animo dicendi officium & attendendi, & postea non mutum, quamuis non attendat. Ille mutat animum, qui uertit se non attendere, & uult adhuc ad alia diuertit. Qui uult sic se non habet, censendus est aduertere. Hinc fit, quod non possit quis dicere officium, & vacare alijs negotijs, quibus attentio auferatur, ut scribere, seu alia legere, & simul recitare, etiam attendere officijs, quibus distrahi potest. Poterit tamen simul audire missam, & horas persoluere, quia ista ad unum ordinantur finem. Et præceptum audiendi missam, non est uerbis intendere, sed sacrificio adesse, etiam uerbis non auditis: unde etiam præcepto missæ satisfieri potest, & præcepto recitandi horas: quamuis quidam contrarium putent, sed sine ratione probabili. Ecce igitur quid sit attente recitare. Debet etiam reuerenter recitare, quippe qui Deum laudat, & ipsi cultum exhibet, & cum Deo loquitur. Non est autem necessarium horas persoluere, quando priuatim recitantur nudo capite, aut genu flexo; quamuis, si fiat, decet fieri.

Rursus debet esse deuotio, ut animus noster inflammetur amore Dei, quem laudamus; & ardeat desiderio uidentem quem fide cernentes præconijs extollimus; quamuis si hoc desit absque contemptu, non sit peccatum mortale. Hæc igitur sunt obseruanda in officio persoluendo. Maxime autem curandum est, ut cum accedimus ad officium, nos præparemus consideratione eius, ad quem laudandum accedimus, & petitione ab ipso, ut digne laudemus. Cum autem recedimus, gratias agamus, & veniam pro negligentijs commissis petamus. Est autem una oratio Leonis Papæ notanda. Concessit enim iste Papa, ut, qui post officium ipsam dixerit, remissionem administrarum negligentiarum, in officio recitando, consequatur. Oratio ista est.

*Sacrosanctæ, & indiuiduæ Trinitati crucifixi Iesu Christi Domini nostri humanitati, & beatissimæ, ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fecunditati, & omnium sanctorum uniuersitati, sit sempiterna laus, honor, uirtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio peccatorum, per infinita secula seculorum. Amen. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni patris filium. Beata ubera, quæ lactauerunt Christum Dominum. Pater noster. Aue Maria. Refert hoc Nauar. c. quando, de conf. d. i. notab. 19.*

## De causis excusantibus ab officio persoluendo.

## CAPVT XIV.

**A**liquæ sunt causæ, quæ excusant ab officio persoluendo.

Prima est infirmitas, non quæcumque, sed cum talis est, ut recitare inferat aliquod notabile damnum. Innoc. cap. 1. de celebr. Miss. unde, cum infirmitas leuis est, & commode absq; damno recitari potest, non excusat. Panorm. ibidem, Quò fit, ut quartana non excuset, saltem illo tempore, quo homo non vexatur feбри. Cum autem homo per infirmitatē excusatur ab officio, non tenetur aliud recitare, nec mente orare, nec alios recitantes audire. Potest aliquando esse, ut talis sit infirmitas, ut nocuum sit inferat recitare, non autem celebrare sacrum, & tunc potest celebrari absq; officij recitatione. Similiter cæcus excusatur à recitando, & is, cuius nimis nocet visui recitare, & iste potest dicere sacrum. Isti autem, qui excusantur à recitando, non tenentur alios audire recitantes. Palud. 4. d. 15. art. 2. nec alias orationes dicere.

Alterca causa est, occupatio alterius negotij, cui tenetur magis incumbere, puta, cum quis circa prædicationem publicam, (Vide Sylu. verb. hora. §. 18.) aut lectionem aliquam ita est impeditus, ut non possit satisfacere, si officio horarum vacet. Similiter qui habet curam infirmi alicuius, & non potest vacare officio absque graui damno infirmi, isti non tenentur protunc officium dicere, quamuis maxima cura adhibenda est, ut quantum fieri possit, officium, aut pars aliqua persoluatur. Officium enim, cum sit maximè proprium clerico, non est prætermittendum, nisi graui urgente necessitate, ut aliud fieri non possit. Similiter, qui ad impediendum populi concertationem, vel aliquos pugnantes, ubi est periculum mortis, currit, & tempus recitandi præterijt, iste potest pro tunc omittere officium.

Tertia causa est, cum deest breuiarium; nam si aliquis perdidit breuiarium, & est in loco, ubi non potest aliud habere, non tenetur. Quòd si est in loco, ubi sunt breuiaria, sed non habet unde emat, quia pauper est, non tenetur; tenetur tamen aliquid aliud recitare, ut tenet Fumus, ver. hora. §. maximè si beneficiatus est. Sed ego non credo; quia non tenetur nisi ad officium, cum ab hoc liberetur, nec est amplius obligatio

Quòd

Quòd si sua culpa perdidit a principio, peccauit tunc, *scilicet* si non peccat in non persoluendo, nisi ipse proiecisset uarium, ut se impossibilitaret ad recitandum: tunc peccat quoties non recitauerit, nisi postea pœnituerit.

Quarta causa est, dispensatio Papalis. Potest enim non recitare si Papa dispensat. Sed nota quòd Papa non dispensat absolute, sed commutat in aliquas orationes alias: & aliqui dicunt quòd non potest dispensare sine commutatione, præsertim quando obligatur ad persoluendum officium ratione beneficij; sed existimò id sine fundamento dictum esse.

Quinta causa est, ex tenuitate beneficij: quando enim beneficium est tenuissimum, ut puta non excedens quantum octo ducatorum, tunc non tenetur ad tantum onus, quantum est officium, secus si esset pinguius, quamuis adhuc ad sustentamentum non sufficeret, sed aliqua saltem bona pars sustentationis. ita tenet Soto lib. 10. de iustit. q. 5. art. 3. contrarium tamen tenet gloss. can. clericus, dist. 91. & Syl. verb. hora. §. 2. tenenda tamen est sententia posterior, quòd tenetur recitare nullus enim canon excusat eum; & ratione tituli obligatur ad horas persoluendas.

Sexta causa est, quando habet beneficium. tamen non recipit ullos fructus, nec per se, nec per alium, nec per ipsum stat, quò minus recipiat. Vbi nota tres condiciones esse necessarias ut qui habet titulum beneficij excusetur.

Prima est, quòd nullos recipiat fructus: unde qui recipit saltem distributiones, quamuis non recipiat redditus, tenetur recitare: unde qui omnes redditus pro pensione reddunt, non excusantur, si beneficij administratio ipsis competat.

Secunda est, quòd nec per se, nec per alium recipiat: unde qui per alios recipiat, tenetur: ex quo fit ut multi iuuenes neantur recitare, quorum patres redditus percipiunt.

Tertia est, quòd per ipsos non stet, quò minus recipiant: unde qui non recipiunt ullos fructus sua culpa, quia non seruiunt, vel quia non accipiunt possessionem, non excusantur ab officio soluendo. Quando verò hæc tres condiciones concurrunt, non tenetur, puta, quando non recipit ullos fructus, nec per ipsum stat, quo minus recipiat, talis non tenetur; nisi tamen speret recipere: nam si hoc est, & sperat certo recepturum se fructus etiam illius temporis præsentis, quia certa est iustitia, ut fit, quando ipse est spoliatus, & pars aduersa intrusa, tunc tenetur recitare extunc. Ex his sequitur, quòd qui solum ha-

bet titulum, & ex concessione Papali omnes redditus alteri dantur, simul cum tota beneficij administratione, iste talis non tenetur.

*Quid sit Sacramentum.*

CAPVT XV.

**D**E primo Sacerdotis officio haftenus diximus in libro isto, nunc de secundo, puta sacramentorum administratione, differendum est. Non autem est, vt diximus in libr. 1. officium omnibus sacerdotibus cōmune, sed ijs, quorum est aliqua iurisdictio, saltem in foro interiori: quoniam verò alterius à Sacerdote non est ista ministrare, meritò inter officia Sacerdotis hoc etiam computatur. Ab eius igitur descriptione incipiendum est, puta, quid sit sacramentum. Quāuis autem variæ dentur à Doctoribus descriptiones, nobis sic videtur posse facilius, & compendiosius describi. Sacramentum est *signum sensibile spiritualis animæ sanctificationis, ad cultum veri Dei à Christo Domino institutum.* In qua descriptione sunt quinque partes maximè considerandæ.

Prima est signum. Vocamus signum, aliquid, quod, vltra cognitionem sui, ducit nos in alterius cognitionem: hoc est, dum se facit cognoscere, simile etiam aliud reducit in mentem. Sacramentum est huiusmodi: est enim quædam res, quæ vltra sui cognitionem, aliud etiam cognoscere facit. Sunt autem tria genera signorum, primum dicitur rememoratiuum: secundum, demonstratiuum: tertium, prognosticum.

Rememoratiuum est, quod facit nos sua præsentia recordari alterius, vt, cum aliquis vult non obliui sei alterius, digitum filo ligat, filum signum est rememoratiuum eius, quod sibi proponit obseruandum.

Demonstratiuum, est signum, quod aliquam occultam rem præsentem demonstrat, vt ramus ante tabernam, signum est vini, quod ibi venditur.

Prognosticum, quod futura prænunciat, vt Iris est signum prognosticum futuræ pluuiæ. Sacramentum non tantum est signum vno modo, sed his tribus: est enim rememoratiuum, demonstratiuum, & prognosticum, vt declarabitur. Altera pars est, *sensibile.* Cum enim res quædam sint sensibiles, nempe

quæ

quæ aliquo sensu exteriori percipiuntur: quædam spirituales  
quæ non percipiuntur sensibus, fieri etiam potest, ut sit  
sensibile, & spirituale; sed sacramentum signum est quoddam  
sensibile, id est, res quædam sensibus subiecta, indicans  
aliquid occultum.

Tertia pars est, *spiritualis sanctificationis animæ*. In hac declaratur  
cuius signum sit istud sacramentum, & dicitur esse signum  
spiritualis sanctificationis animæ, seu potius rei animam sancti-  
ficantis. Anima autem sanctificatur per gratiam, virtutum,  
& donorum infusionem, seu per gratiam, quam reliqua conti-  
tantur. Est igitur sacramentum res quædam sensibilis, quæ  
dicat animam hominis interiùs per gratiã sanctificari. Com-  
enim aliquis baptizat, illa verba, *Ego te baptizo*, & illa, laetitia-  
qua, actus quidam est sensibilis, qui indicat animam hominis  
interiùs per gratiam sanctificari. Ob id sacramenta dicuntur  
signa gratiæ, seu signa rei sacræ. Per rem sacram. gratia intelli-  
gitur. Dicitur etiam *visibilis forma, invisibilis gratia*. Aduerte  
tamen, quòd sacramenta non tantùm sint signa gratiæ non  
formaliter sanctificantis, seu etiam passionis Domini efficien-  
tè nos sanctificantis, sed similiter futuræ beatitudinis finali-  
ter sanctificantis. Vnde Sacramentum est signum passionis  
rememoratiuum, gratiæ demonstratiuum, & gloriæ prognos-  
ticum, Quod in illa Antiphona sanctissimi Sacramenti ex-  
ponitur, cui per excellentiam ista appropriantur, quæ tantum  
omni sacramento conueniunt. *O sacrum conuiuium, in quo Chris-  
tus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia  
& futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

Quarta pars est, *ad cultum veri Dei institutum*. Circa hanc  
declarationem aduerte, quòd Christus Dominus, non solum  
fuit noster Redemptor à peccato, & reparator, sed & doctor  
magister instruens, & docens viam, qua regnum cœlestis con-  
sequamur. Hinc est, quòd non solum ut Redemptor debuit no-  
bis remedia relinquere, quibus à peccato mundaremur, sed et  
doctor, & magister debuit nos instruere, & relinquere mo-  
dum, & cæremonias sui cultus, quibus Deum veneremur,  
& adoraremus. Hæc vtraque complexus est simul in sacra-  
mentis: nam sacramenta non solum sunt medicinæ quædam,  
& remedia contra peccatum; sed etiam sunt cultus, & cære-  
moniæ quædam, quibus Christiani & fideles Deum veneran-  
tur. Qui ergo hoc sacramentum suscipit, hæc duo simul exet.



cet. Ob id, in descriptione posita est illa pars, *institutum ad cultum veri Dei.*

Quinta pars est, *à Christo Domino*: sciendum est enim, quòd particula omnes præcedentes huius descriptionis conueniunt sacramentis legis veteris: Circumcisio enim erat signum sensibile erant enim signa gratiæ, & in cultum Dei instituta. Sed in hac vltima particula discrimen est à sacramentis legis Evangelicæ: nam illa erant à Deo instituta, est enim Deus etiam saluator, & instructor veritatis, at nostra sunt à Deo per Christum Dominum; Christus enim omnia nostra sacramenta instituit. Ex his tota definitio sacramenti manet exposita. Aliud etiam est discrimen notandum inter sacramenta nostra, & veteris legis, quòd nostra efficiunt gratiam, quam signant: sunt enim instrumenta effectiua gratiæ, at illa antiqua non efficiebant gratiam, sed in illis dabatur gratia ex fide venturi Messæ. Dicitur sacramentum, quasi quoddam sacrum secretum. Est enim magnum secretum, quòd res sensibilis quædam animam interius purificet. Quamuis autem apud antiquos Latinos, non sumatur in ista significatione, nihil refert: non enim habuerunt rem, sicut nos. Emergentibus autem rebus, non uas licet imponere voces.

*De his, quæ in sacramento necessaria sunt.*

CAPVT XVI.

QVinqve in sacramento conueniunt, materia, forma sacramenti, intentio ministri conferentis, intentio suscipientis, effectus ipsius sacramenti. Quatuor priora sunt de necessitate sacramenti, ita vt, vel vno deficiente, sacramentum non sit: vltimum autem, non semper est de necessitate: nam potest verum sacramentum consistere, quamuis non sequatur effectus ipsius, vt paulo post declarabitur. Oportet autem singula hæc declarare in communi: nam post in particulari declaranda sunt.

In sacramento reperiuntur res, & verba Verbi gratia, in Baptismo est aqua, & verba, *Ego te baptizo*. In pœnitentia, res sunt, peccata: verba, *Ego te absoluo*: sic in alijs, res, dicitur materia Sacramenti, verba ipsa, dicuntur forma. Sunt autem ista adeo necessaria, vt, si adhibeatur res sine verbo, vel verbum sine re, nullum sit sacramentum.

Adhuc

Adhuc etiam debet esse minister, qui in omnibus sacramentis est necessarius, licet non in omnibus opus sit distingi à suscipiente. Nam in Eucharistia, Sacerdos se communicat, in Matrimonio coniuges inter se contrahunt, in alijs semper est distinctus: nullus enim se baptizare, confirmare, absolvere, ordinare, aut vngere potest. Est autem in ministro sacramenta conferente necessaria intentio ista, quæ intentio debet esse conferendi ipsum sacramentum, & faciendi quod facit Ecclesia, aut minister Ecclesia.

Vnde, qui absque illa intentione faceret, nullum conferret sacramentum; qui verò cum hac intentione fecerit, quatenus credat quæ facit non habere efficaciam, & nihil esse, tamen Sacramentum confert. Vnde tali intentione baptisimus ab infidelibus collatus valeret. Nec opus est, quod ista intentio sit actualis: sat enim est, quod sit virtualis, id est, quod, dum accedit ad sacramentum conferendum, accedat eo animo, faciendi quod facit Ecclesia, licet, actu non cogitet quod facit, immo nec opus est, ut, cum accedit, dicat actualiter, intendo facere, quod facit Ecclesia, sed, quod talis intentionis virtute moueatur, scilicet, quod accedit ut minister Ecclesia, ad conferendum, quod est sui muneris.

Ultra etiam hoc, est necessaria intentio suscipientis, cum adultus est. Nam in paruulis Ecclesia supplet intentionem illorum, in adultis autem opus est intentione, adeo ut, si quis vi, aut nolens baptizaretur, non esset baptizatus, aut dormiens, aut amens, dummodò non præcessisset intentio, ut esset saltem virtualis, cum confertur: ista enim sufficeret. Idem etiam de alijs sacramentis censendum est. Hæc igitur quatuor sunt ad integritatem sacramenti pertinentia, quorum singulis deficientibus, nullum est sacramentum, & reuerentia deberet.

Effectus sacramenti duplex est, vnus communis, & generalis omnibus sacramentis. Alter est specialis quibusdam tantum, non omnibus.

Effectus generalis est, gratia. Omnia enim sacramenta conferunt gratiam debite accedentibus & suscipientibus, & hoc ex opere operato, id est, ex vi ipsius sacramenti. Vt terius, deuotioni cuiusque, ultra gradum gratiæ respondentem, datur quidam gradus gratis propter ipsum sacramentum. Attende tamen, quod duplex est gratia, prima, & secunda.

Prima



matio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, Matrimonium. Quorū sufficientia sumi potest ex perfectione vitæ corporalis, ad cuius similitudinem procedit vitalis. In vita autem corporali perficitur homo dupliciter, primò in se, vt est quædam particularis persona, secundò ordine ad alios, vt est pars reipublicæ. Est enim homo ciuile animal.

In se primo omnium perficitur per generationem, qua recipit esse.

Secundò, per augmentationem, qua ad debitum terminum quantitatis peruenit.

Tertiò, per nutritionem, qua in robore, & esse suo conseruatur.

Quartò, si in morbum incidit, sanatur per medicinam.

Quintò, post sanitatem acquisitam, reliquias infirmitatis per dietam expellit, & bonum regimen. In ordine ad alios perficitur per dignitatem, qua alijs præficatur, & alios gubernat, & per contractum matrimonium, quo reipublica in sua multitudine conseruatur. Ad hanc similitudinem vita spiritalis procedit.

Primò homo nascitur in vita spiritali, qua antè etiam priuatus, & hoc fit per baptismum, quo homo nascitur deus in spiritu.

Secundò, indiget robore gratiæ susceptæ, & hoc fit per Confirmationem.

Tertiò, indiget cibo spiritali, quo anima nutritur in gratia & spiritu, & hoc per Eucharistiam, quæ viaticum dicitur.

Quartò, indiget medicina sanante, si quando in peccatum incidat, & hoc fit per pœnitentiam.

Quintò, indiget expellere reliquias aliquas ex peccatis remanentes: non enim homo dolet, sicut debet, ex negligentia sua, & ad hoc indiget extrema vnctione, quæ datur tempore mortis, quia tunc anima omninò debet esse purgata, quæ diuino conspectui est præsentanda. His sacramentis homo perficitur per ordinem, quo homo potestatem habet alios sacramenta ministrandi. Similiter per matrimonium, quo multitudo hominum conseruatur: ex quorum congregatione Ecclesia consistit. Vnde fit, vt sacramentorum numerus sufficiens sit, & completus. Ex his sacramentis aliqua dicuntur necessaria ad salutem, sine quibus non potest contingere alicuius salus. Aliqua non necessaria, quamuis omnia sint in præ-

cepto.

cepto. Baptismus, & Pœnitentia sunt necessaria. Baptismus quidem omnibus, Pœnitentia his, qui mortaliter peccant. Sunt autem sic necessaria, ut nullus secundum legem ordinariam Dei modo possit ingredi cœlum, quin baptizetur; & si post baptismum peccat mortaliter, quin pœniteat, & confiteatur. Attende tamen, quod non sunt ita necessaria in re, sicut est in voto, & proposito, cum re haberi non possunt. Unde qui dolet de peccato sufficienter, & cum proposito confitendi, vel voluntate, si posset, consequitur gratiam, & si moritur, saluatur. Idem de Baptismo. Unde catechumeni, qui Baptismum in voto habent, si casu moriantur, si dolorem de peccatis habuerunt, salvi sunt. Alia Sacramenta, puta, Eucharistia, Confirmatio, Extrema unctio, sunt quidem in præcepto certis temporibus, & cum haberi possunt, ita ut obligent tunc ad susceptionem, sed non sic, ut sine illis non contingat salus. Ordo, & Matrimonium sunt necessaria in Ecclesia in communi considerata, & sic obligant ad susceptionem; tamen ista necessitas non se extendit ad personas particulares, nisi ratio necessitatis urgeat ut si tanta esset hominum paucitas, ut aliqui obligarentur ad matrimonium, & aliqui ad ordinem, quod modo non evenit. Superest, ut in particulari de singulis tractemus.

*De materia remota, & propinqua Baptismi.*

CAPUT XVIII.

Primum omnium sacramentorum, secundum ordinem susceptionis, est baptismus, quem Magister sent. in lib. 3. dist. 3. sic definit. Baptismus est ablutio corporis exterioris facta, sub præscripta forma verborum. In baptismo, sicut in quouis sacramento, quinque sunt consideranda, materia, forma; minister, suscipiens, effectus.

Materia duplex est, alia remota, altera propinqua. Materia remota est aqua: propinqua est ablutio, quæ fit mediante aqua. Tractemus prius de materia remota. Hæc debet esse aqua elementaris, ideoque in alio liquore non licet baptizare, nec valet baptismus. Unde in vino, ceruisia, & lacte, non potest esse baptismus. Similiter nec in liquoribus herbarum, florum, aut arborum, quæ non sunt aquæ elementares. Similiter nec in sudore, spuro, vrina, quæ sunt excrementa, non aqua. Attende tamen, quod quamuis aqua sic alterata, dam-

modò non sit eius substantia mutata, potest esse materia sacramenti. Vnde in niue, non potest esse baptisus, quia non est habes aliam formam substantialem ab aqua: at vero, quando manet aqua, est materia, vnde nihil refert, an sit calida, frigida, pluuiialis, vel fluuiialis, salta, qualis est maris, vel dulcis, pura, vel mixta, dummodo non sit mixtio tanta, vt aqua non sit. Vnde potest esse baptisus in lixiuio, brodio caruorum vel piscium, quando non est notabilis mixtio, vt aqua non sit. Potest esse etiam in aqua expressa à luto, si qua exprimat, licet sit cum terra, similiter in aqua sulphurea: hæc omnia materia esse possunt, licet non sit adhibenda, nisi in extremo necessitatis tempore. Aqua rursus tempore necessitatis non est opus sit benedicta, extra casum necessitatis peccat mortaliter, qui in non benedicta baptizat. Immo debet esse christi nouum illius anni, nisi necessitas sit, vt habetur c. si quis alio, de consecr. dist. 4. Dices, quare Christus instituit aquam materiam huius sacramenti?

Dico id esse factum propter duo, & propter significationem, & propter vsum.

Propter significationem quidem, quia optimè exprimitur aqua tres effectus baptismi.

Aqua enim ratione suæ humiditatis ita lauat, vt non relinquit aliquid immunditiæ, reliqui humores non sic: vinum enim relinquit odorem, oleum maculam, lac colorem, aqua nihil. In quo significatur baptismi effectus: totam enim maculam, siue culpam, totam poenam aufert.

Secundò, aqua ratione frigiditatis temperat calores & æstus: baptismus temperat carnis concupiscentiã: effrenatio enim est concupiscentia non baptizati, quàm baptizati.

Tertiò, aqua ratione claritatis recipit radios lucis: per baptismum homo fit aptus ad recipiendum alia sacramenta, & gratiam Dei.

Fuit & aqua instituta propter vsum, quia cum hoc sacramentum sit omninò necessitatis, debuit habere materiã communissimam, qualis est aqua, quæ vbique reperitur. Est igitur materia remota, aqua.

Materia propinqua est, ablutio: est enim opus, quòd abluat corpus. Nota tamen, quòd per abluionem, intelligimus vel immersionem, siue vnam, siue trinam, vel aspersionem, vel effusionem: quocumque modo horum fiat, tenet baptismus. Tamen quisq; debet baptizare, iuxta ritum suæ Ecclesiæ, nisi

aliud

aliud petat necessitas, vel honestas. Necessitas quidem, ut in loco, ubi est trina, vel vna immersio, cum est periculum nocuenti infantis, potest aspergi, vel pauca aqua suffundi. Honestas, ut, si adultus est, non debet immergi, sed sufficit effusio. Attende tamen, quod debet esse caput, nisi urgeat necessitas. Cum enim puer in ventre matris periclitatur, & emisit manum, vel pedem, potest baptizari in illa parte, & hoc est probabilius, licet aliqui dicant, illum non posse baptizari. S. Tho. 3. p. q. 68. art. 11. tenet quod potest; tamē, si vivit, est denuo sub conditione baptizandus, licet probabile sit, quod non oporteat rebaptizari, ut alij sentiunt, quos citat Siluest. ver. bapt. §. 1. Nota etiam, quod debet esse ablutio, id est: actus ex se ordinatus ad abluionem. Vnde qui puerum morientem projicit in puteum profundum, ut baptizetur, quamuis suffocaretur, quia non potest ab aqua extrahi, iste non baptizat, sed occidit, peccatq; mortaliter, & est irregularis, ut dicit Siluest. loco citato, §. 10. contra aliquos: non enim ille est actus abluendi. Potest autem in illo casu vestem extendere, ut aquam ebibat, & postea expressione baptizare, vel puerum in cistella positum chorda vsque ad aquam dimittere & extrahere. Quod si hæc non possunt fieri, iudicandum est de hoc, ac si omnino deesset aqua. Nota rursus, quod aqua debet tangere corpus, vel partem. Vnde in ventre non potest puer baptizari aqua superiniecta matri. Nec similiter potest aliquis intra corium inclusus baptizari. Sufficeret, ut dicit Soto, quod aqua caderet super capillos capitis, licet non ita penetraret, ut cutem ipsam attingeret. Hæc igitur est vtraq; materia Baptismi.

*De forma Baptismi.*

CAPVT XIX.

**B**aptismi forma sunt verba, quæ simul cum abluione proferuntur. Hæc autem triplex est.

Vna secundum Latinam Ecclesiam.

Altera secundum Græcam.

Tertia, quia uti opus est in baptismo dubio, cum, puta, aliquid est dubium, an baptizandus aliàs esset baptizatus. Non autem intelligendum, quod triplex sit formæ substantia: vna enim est, sed varius exprimendi modus.

Græcorum forma est, *Baptize ut seruus Christi, talis, com-  
mendo nomen eius, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*  
 Latinoꝝ vero forma est, *Ego te baptizo in nomine Patris, &  
Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Et baptizandi sub dubio, est: *Si  
baptizatus, non te reb. pizo sed si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*  
 Quamuis, credo, sufficeret ista vltima, si non es baptizatus, &c.  
 Est autem in omni forma obseruandum, vt simul sit cum ipsa  
 materia. Nec enim prius verba, quam materia adhibeatur,  
 sunt proferenda, nec etiam post. Vnde, qui post aquæ effusio-  
 nem verba subiungeret, vel ante proferret, non baptizaret,  
 quamuis non sit necessaria mathematica, vel physica simi-  
 tas, vt in eodem instanti materia, & forma incipiant, sed et  
 moralis similitudo. Vnde licet post vnā vocem emissam aqua  
 infunderetur, vel ante, non esset inconueniens. Est autem et  
 ca has formas aduertendum, quod non debent villo modo va-  
 riarī, sed integrè seruari, alias ex negligentia variare, vel con-  
 sulto, peccatum est graue. Non tamen ob id omnis variatio  
 impedit formā, quo minus verum faciat baptismum; aliquid  
 enim impedit, aliquando non: pro quo, hoc est generaliter  
 aduertendum, quod quoties mutatur sensus verborum pos-  
 tortum, tunc non est forma, & consequenter nec baptismus;  
 vt si quis alia quadam sententia, vel ordine vellet baptizare,  
 non est baptismus. In particulari aduertendum est, esse sex mu-  
 tationum species. Est enim subtractio verborum, additio, va-  
 riatio, transpositio, corruptio, interruptio, quas singulas ex-  
 plicare oportet. Explicabimus autem in Latina forma, quæ in  
 vsu nostro est, continetur autem his versibus:

*Nil forme demas, nil ponas, nil variabis.*

*Transmutare caue, corrumpere, verba morari.*

In primis, non quælibet subtractio verborum in illa for-  
 ma aufert baptismum, quamuis vnū auferre verbum absq; cau-  
 sa, sit peccatum graue, in primis illa duo verba, *Ego, Amen,* nō  
 sunt de necessitate, quāuis prætermittere peccatum esset, ma-  
 ximè illud, *Ego* nam, *Amen,* non in omnibus Ecclesijs est vsus  
 vbi autem vsus est illud proferēdi, non est prætermittendum.  
 Si præmittatur, non aufertur forma. Pronomen, *Te,* necessa-  
 rium est ita, vt qui tantum diceret, *baptizo,* non baptizaret. Re-  
 liqua verba necessaria sunt, adeo quod auferre nomen vnus  
 personæ, non esset baptismus. Similiter auferre præpositionē,  
*In.* Aliqui volunt, quod illud, *&*, sit necessarium, sed non puto



ra esse: nam latine non aufertur sensus, quamuis subtrahatur  
 illa copula. Additio etiam aliquando aufert, aliquando non  
 aufert formam: quando additur aliquid repugnans fidei, quæ ex-  
 primitur in illis verbis, non valet: ut si Arrianus diceret: *Baptizo*  
*te in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus sancti*, non  
 baptizaret. Quod si nihil est contrarium fidei Trinitatis quod  
 apponitur, forma valet, ut si diceret: *Ego indignus minister te ba-*  
*pizzo in nomine Patris omnipotentis, & Filij unigeniti, & Spiritus*  
*sancti ab utroque procedentis*, vera est forma: ista tamen nullo mo-  
 do verbis sacramentorum miscenda, sed pure recitanda sunt.  
 Verborum varietas multiplex est, non tamen omnis impedit.  
 In primis, quantum ad idioma, non impeditur forma, si Hi-  
 spano, vel Germano, vel Italico, vel quouis idiomate dicatur,  
 dum idem retineatur sensus. Immo melius facerent isti, qui  
 in necessitate baptizant, si nativo sermone profiterent: cum e-  
 nim ignari sint lingue Latine, ridiculas voces emittunt. In ba-  
 ptismo tamen solenni, omnes Latini Latino sermone uti de-  
 bent. Alia est variatio inter sermonem Latinum: in primis, si  
 loco illius, *Ego*, dicat, *vos*, ratione dignitatis, sicut Episcopi so-  
 lent loqui, baptizatus est. Similiter si, *Te*, mutet in, *vos*, vel in  
*vestram dominationem*, vel in nomen ipsius baptizandi, valet for-  
 ma. Similiter, si verbum eadem causa mutet in plurale, *baptiza-*  
*mus*, aut mutet in passivum, *baptizetur a me*, etiam valet; aut si lo-  
 co illius verbi, *baptizo*, dicat *abluo*, vel *lavo*, vel *immergo*, vel *aqua*  
*tergo*, vel quid simile. At si dicat in nominibus Patris, &c. non  
 valet baptismus: nam nomen ibi fidem, veritatem, potestatem,  
 maiestatem, inuocationem significat, quæ vnum sunt in tribus  
 personis. Nec etiam valet; si loco, *nomine*, dicat, *fide*, vel *virtute*,  
 quia plus significat *nomen*: posset quidem dicere, *In nomine Pa-*  
*tris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti*. Similiter non va-  
 leret, si diceret, *In nomine Trinitatis*, & non exprimeret personas:  
 vel si diceret, *In nomine Christi*: nam si Apostoli vni sunt hæc  
 forma, id fuit ex peculiari reuelatione Spiritus sancti, ad im-  
 primendum nomen Christi in cordibus fidelium incipientium;  
 modo non licet absque tali reuelatione, nec esset baptismus, &  
 hoc puto probabilius. Similiter non valet, si mutantur nomi-  
 na personarum, & dicatur: *In nomine genitoris, geniti, & proceden-*  
*tis ab utroque*. Et hæc est communis sententia, licet aliqui dicant  
 valere. In retamen ita graui securior est sententia communis.  
 Tamen dici posset, *In nomine Patris, Christi, & Spiritus sancti*. Hæc  
 de variatione.

Circa transpositionem notandum est, quod quoties *in* idem manet, non auferit transpositio verborum formam. Unde si quis dicat, *In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti ego te baptizo, Amen.* vel si dicat, *In nomine Patris ego te baptizo, & Filij, & Spiritus sancti.* vel si dicat, ordine personarum mutato, *Ego te baptizo in nomine Filij, & Patris, et Spiritus sancti,* dum non intendat errorem inducere contra fidem, baptismus est. Tanta tamen posset esse in aliquibus formis transpositio, ut sensus auferretur, & tunc non valeret.

Circa corruptionem, quæ in pronuntiatione consistit, si tanta sit, ut penitus verborum significatio eadem non appareat secundum communem intelligendi modum, non est in forma, at si non sit tanta, siue ex ignorantia, siue ex malitia faciat, dummodo seruetur debita intentio, non ob id forma perit. Unde approbatur illa forma dicta à quodam ignorante, *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua sancta.* Ita approbavit Zacharias Papa, capit. retulerunt, de consecrat. d. 4. Hic fit, ut cum in forma non sit integra pronuntiatione, non ob id sit repetenda, ut si loco M profertur N. vel subtrahatur littera, dicendo, *Ego te absoluo,* vel *assoluo te,* vel quid simile, pro, *Ego te absoluo.*

Circa interruptionem etiam notandum est, quod cum est tanta mora interposita, ut iam sit notabilis, est repetenda ex integro forma; at si quis spuendi gratia non continuauit formam, non est opus repetere. Hæc omnia, quæ dicimus de forma baptismi, etiã de alijs sacramentorum formis sunt intelligenda, & etiam de Græcorum forma. Valeret enim, si diceret, *Ego te baptizo seruum Christi,* vel etiam *Christus baptizat hunc seruum suum:* nam Græci ita intelligunt, cum dicunt, *baptizetur seruum Christi,* scilicet, à Christo: similiter in alijs, quæ diximus; maxime enim seruadus est sensus. Vnum tamen hic notandum est, quod si quis Latinus baptizaret in forma Græca, verè baptizaret, & hoc est probabilius, licet alij id negent, tamen peccaret, non seruans morem, & præceptum suæ Ecclesiæ. Est etiam obseruandum, quod in forma Latina plura exprimentur, quam in forma Græca: nam in forma Latina exprimitur causa principalis baptismi, S. Trinitas, & similiter eadem inuocatur. Exprimitur suscipiens baptismum, & minister, & actus ipse baptismi. At Græci ministrum subtrahunt, forsitan ad tollendum eorum errorem, qui putabant ministrum esse causam principalem, quos reprehendit Paulus. Dicebant enim: *Ego sum Paulus,*

ego sum Apollo. Præterea Latinus utitur indicatiuo, ad exprimendam præsentialitatem effectus, Græci, deprecariuo, ad significandum, quod à Deo est communicanda gratia. Rursus, Latinus utitur secunda persona, quia aures spirituales considerat in baptizato; at Græcus tertia persona, utens, illorum baptizatorum nomine, quia non semper corporaliter audiunt: Græci tamen, si intentionem debitam habeant, verè in sua baptizant forma.

*De ministrante baptismum.*

CAPVT XX.

**V**ltra materiam, & formam sacramenti, necessarius est minister conferens. Hic autem non potest esse vnus respectu sui ipsius minister, quia tunc veritas formæ non consisteret: non enim verum esset dicere, *Ego te baptizo*. Est autem duplex minister, vnus necessitatis, alter ex officio. Minister ex officio tantum est Sacerdos, & non omnis, sed Curatus, seu Parochus; adeoque peccaret, qui extra necessitatem baptizaret, nisi Parochus esset: & si laicus esset, fieret irregularis, vt habetur cap. i. de clerico non ordinato ministrante: hæc tamen irregularitas est intelligenda, si solenniter baptizet. Vnde non bene Siluester verbo, baptismus, 3. §. i. vniuersaliter est loquutus. Minister necessitatis adhuc duplex est, vnus secundum legem ordinariam Dei.

Alter est secundum supernaturalem Dei ordinationem. Hic posterior est Angelus, aut anima extra corpus, qui ex diuina voluntate possunt baptizare, non tamen secundum communem Dei legem. Vnde, nisi constet esse bonum Angelum, vel animam sanctam, non est baptismus censendus; secus si boni sint: tunc enim voluntate diuina fecisse credendum est. Minister verò secundum communem Dei legem, est homo cuiusque sexus, siue vir, siue foemina, siue hermaphroditus; cuiusque ætatis, siue puer, habens tamen vsum rationis, siue iuuenis, siue senex; cuiusque status, siue laicus, siue ecclesiasticus; cuiusque conditionis, siue seruus, siue liber; cuiuscumque vitæ, siue Iudæus, siue Paganus, siue alius quiuis infidelis; cuiuscumque moris, siue peccator, siue non; siue præcisus ab Ecclesia, siue non: omnes isti possunt baptizare. Tamen in

omnibus est necessaria intentio debita faciendi id, quod in  
Ecclesia, vti diximus. Vnde, licet infidelis non crederet se  
quam boni facere, & cum irrisione faceret, si tamen ad pertin  
nem baptizandi baptizaret, intendens facere id, quod facit Ec  
clesia Christiana, vel vt ille petit, vere baptizaret. Quam  
autem isti omnes possint in necessitate baptizare, & non pec  
cent, licet in peccato sint, sicut peccat, qui solenniter, in pec  
cato existens, Sacramentum ministrat, tamen vnusquisque in  
ferior debet cedere in præsentia superioris; vt cum adest vir,  
non debet baptizare foemina; cum Ecclesiasticus, non debet  
laicus, & sic consequenter; licet non esset mortale oppositum  
facere: immò aliquo casu, potius a laico, quam a Parocho, et  
iam baptismus esset suscipiendus, puta, si Parochus nollet ba  
ptizare, nisi accepta pecunia in pretium, quod Simonia est,  
tunc, si paruulus est baptizandus, baptizetur potius ab ipso te  
rente illum ad baptismum. Quòd si adultus est, petat ab alio  
etiam infideli: & si nullus abest, & periculum mortis imminet,  
tunc potius debet mori cum baptismo in voto: in hoc enim  
saluatur. Et hæc est communis sententia. Licebit tamen aqua  
puram emere ad baptizandum, quia non est emptio rei sacræ.  
Hoc autem est obseruandum in ministro, vt vnus sit; plures  
enim baptizare non possunt. Vnde si essent, vnus mutus, qui  
non posset verba proferre, alter manibus carens, qui non  
posset aquam infundere, si vterque conueniret, & vnus r  
num, alter aliud præstaret, non esset baptismus. & hæc est  
communis sententia, licet oppositum aliqui velint, sed non  
est opinio conueniens: nam verba notant exercitium actus  
ab ipso ministrante, etiam in forma Græca. Nec etiam est ba  
ptismus, cum multi baptizant, & singuli dicunt, nos te bap  
tizamus, ita quòd illud pronomen faciat sensum copulatum,  
seu completum, quasi singuli alios in baptismi consortio  
gnificent, tunc non esset baptismus, vt communior opinio te  
net, licet aliqui teneant oppositum, At si multi baptizent, sin  
guli dicentes, ego te baptizo, vel, nos te baptizamus, per illud plu  
rale intendentes singulare, tunc esset baptismus. Si enim vnus  
præcederet, iste baptizaret, illi non, sed essent rebaptizatores: si  
verò omnes simul, tunc omnes, & singuli baptizarent, sicut  
multi consecrant hostiam. Quòd posset accidere, si forsan duo  
aliqui de præbenda contententes baptizare conarentur. Hæc  
sunt circa ministrum notanda.

Sed vnum esse dubium hic poterat, an baptismus collatus

a malo

malo ministro si ita efficax, sicut collatus à bono. Et dico, quod quantum ad effectum per se ipsius baptismi, qui datur ex opere operato, æqualis est valoris uterque baptismus; tamen ex parte illius, qui dans sua deuotione, & petitione impetrat à Deo, maioris efficaciam est baptismus collatus à bono. Amicus enim Dei & seruus impetrat ea, quæ inimicus & peccator impetrare non potest pro alijs. Aliud dubium de eo, qui putat se baptizare sceminam, & baptizat masculum, aut putat baptizare Petrum, & baptizat Ioannem, dico quod error personæ, vel sexus, non impedit baptismum, dummodò minister baptizare intendat; nisi exprimeretur in intentione, quod non vult baptizare, si est alius, quam putat. Sed hoc nullus facit.

*De suscipiente Baptismum.*

CAPVT XXI.

**P**ost Euangelij promulgationem per Apostolos factam, præceptum diuinum generale est, omnes ad baptismum suscipiendum obligans, sine quo in re, vel in voto suscipio, nullus de lege ordinaria saluatur, iuxta illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

Sub hac autem generalitate, primò comprehendimus existentes in originali peccato, siue etiam existentes in actuali, etiam sanctificatos in utero matris, si qui modò essent: tales enim tenerentur in modò sub præcepto recipere, ut haberent characterem, & ut Christo Domino in passione, quod per baptismum fit, conformarentur, quamuis hi si, ante baptismum decederent, salui essent ratione gratiæ sanctificantis.

Secundò, comprehendimus etiam paruulos, & adultos: paruulus enim baptismus conferri potest, & collatus consequitur suum effectum, ut definitur in cap. maioris, de baptismo: si enim his conferri non posset, esset illa ætas absque remedio, quod vanum est dicere. Hoc circa paruulos est aduertendum, quod secundum communem sententiam, & probabiliorem, si filij sint infidelium, qui sui iuris sunt, & non serui, non debent inuitis parentibus baptizari, quia iure naturæ sunt ipsorum parentum: quod si baptizarentur inuitis parentibus, tunc nec baptismus; tamen non sunt ab illorum cura subtrahendi,

donec

donec illucescat vsus rationis. Quin etiam ipsi inuitis potest  
baptizari, si vellent filij. Etiam adhuc circa paruulos aduen-  
dum, quod cum expositi inueniuntur, vt in nemore, & etia-  
tionabilis causa dubitandi, an baptizati fuerint, pura, quia in-  
scripto inueniuntur, & nimis recentes sunt, sub dubio sunt  
baptizandi. Idem quoque censendum est, de eo etiam adu-  
qui natus est inter exterarum nationes, & nescitur, an baptizatus  
fuerit. Aduerte etiam circa paruulos, quod cum eis computan-  
tur adulti, qui numq̄ vsu rationis habuerunt, sed in matrua  
sunt amentia: hi enim, vt pueri, baptizari possunt, etiam repug-  
nantes; secus, si habuerunt vsu rationis, siue iudicium, vel  
patiuntur lucida interualla. Non enim baptizandi sunt a-  
mentia, etiam urgente necessitate, nisi in tempore vsus ratio-  
nis habuerunt voluntatem baptismi: tunc enim, ratione huius  
intentionis virtualis, possunt baptizari, & eodem modo do-  
mientes.

Tertio, vt ad adultos redeamus, notandum est, quod triplex  
est necessaria dispositio in adultis ad baptismum, intentio sus-  
cipiendi baptismum, fides, dolor de peccatis commissis. Hæc  
autem non eodem modo sunt necessaria. Intentio namque  
ita est necessaria, vt si desit actualis, vel virtualis, non sit  
baptismus. Vnde fit, vt qui reuens, & inuitus baptizatus,  
non sit verè baptizatus; si tamen interius consensit, quamuis  
metu, & vi, tunc baptizatus est, & recipit characterem, sed non  
gratiam: cogendusque est, vt maneat in fide Christiana, vt  
habetur cap. maiores, de baptismo. Fides quidè est necessaria,  
sed tamen ad recipiendam baptismi gratiam, non ad charac-  
terem. Vnde si accederet aliquis cum intentione suscipiendi  
baptismum, tamen non credens vni articulo, vel pluribus ar-  
ticulis fidei, recipit characterem, non tamen gratiam, donec  
deponat errorem, & disponatur. Dolor etiam hoc modo ne-  
cessarius est ad gratiam, non ad characterem. Vnde, si aliqua  
cum voluntate actuali peccandi accederet, cum debita tamen  
intentione, reciperet characterem, sed non gratiam, donec  
confiteretur de tali peccato, & fictione, in qua recipit bap-  
tismum: sicut etiam ille, qui cum errore accedit. Isti enim dicun-  
tur accedere fictè, & ponere obiecem: at ablato obiece, bap-  
tismus consequitur suum effectum, & dat gratiam, & remissio-  
nem omnium peccatorum antecedentium baptismum, quo  
ad culpam, & totam penam. Verum est, quod si ministro con-  
flaret horum fictio, nullo modo ad baptismum eos admittit.

re deberet. Tamen cōsiderare oportet, quòd qui fìctè accedūt, & postea confessione remouent fictionem, non dicuntur peccata ante baptismum commissa confiteri: non enim est confessio facienda vlla de illis peccatis, nec vlla imponenda est penitentia, sed cum sola attritione, accedente baptismo totaliter delentur; quamuis, si erant peccata obnoxia restitutioni, non liberentur a restitutione.

Quartò notandum est, quòd posset accidere, vt aliquod monstrum nasceretur viuum, duplicatis partibus humanis, vt cum duplici capite, & pectore: & tunc obseruandum est, an probabile videatur esse duos, tunc vnus illorum absolutè, alter sub conditione baptizandus est. Quòd si vnam hominem esse appareat, semel est baptizandus. Quia verò non omninò certum est, illos esse duos, ob id, non simul baptizandi, sed modo prædicto. In alijs verò necessitatibus, vt cum est multitudo nimia baptizandorum, vt fuit in primitiua Ecclesia, & modo est in India, possent simul plures baptizari aspersione: & tunc forma est, *Ego vos baptizo*: sed non debent tot simul esse, vt periculum sit, ne omnes abluantur, & attingantur aqua.

Quintò etiam circa adultos est notandum, quòd non statim ad baptismum sint admittendi, cum ipsum petunt, si ex infidelitate veniunt, sed sunt per aliquot menses inter Catechumenos detinendi, vt in fide instruantur, & vt eorum constantia probetur, & propter reuerentiam Sacramenti. Hoc autem ob duas causas impediri potest.

Prima est, cum iam qui petit est in fide instructus, & probatus.

Altera est, cum necessitas vrget infirmitatis, vel obsidionis, vel naufragij, vel alicuius similis: tunc enim vtcumque si de exposita, cum ille assentiat, est baptizandus: illi vero, qui detinentur expectantes baptismum, si interim obeant absque baptismo cum contritione, & voto baptismi, saluantur.

## De effectibus, &amp; speciebus Baptismi.

## CAPVT XXII.

**M**ulti sunt Baptismi effectus. Inter alios; hi sunt par-  
ticipati.

Primus est gratia, qua remittitur peccatum origi-  
nale, etiam actuale in adultis.

Secundus est, totius poenae pro peccatis debitae remissio, a-  
deoq; si debite accedat baptismo, consequitur totius poenae in-  
dulgentiam, vt si statim moreretur, quamquam plenus effectus  
peccatis, volaret ad caelum.

Tertius, character, quo habet potestatem recipiendi alia  
Sacramenta, quae sine baptismo praecedenti conferri non  
possunt.

Quartus, ablatio irregularitatis: aufert enim baptismus om-  
nes irregularitates ante baptismum contractas, praeter biga-  
miam, vt alias diximus; non tamen aufert obligationem circa  
aliam personam. Vnde qui debebat alteri, non absoluitur pro-  
pter baptismum a debito: qui erat reus mortis pro aliquo cri-  
mine, non liberatur a morte per baptismum; licet soleant la-  
dices similibus parcere, si pars est satisfacta. Ista omnia, quae  
hactenus diximus, de aquae baptismo intelliguntur. Sunt enim  
alij duo baptismi, baptisimus sanguinis, qui est martyrium, de  
quo Lucae 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo conser-  
uare usque dum perficiatur.* Et est baptisimus flaminis, qui est conser-  
uatio de peccatis.

Differunt autem isti tres baptismi dupliciter.

Primò ex parte suscipientis: nam flaminis, est adultorum  
illi enim soli possunt conteri de proprio peccato: alij duo  
etiam sunt communes paruulis. Vnde si paruuli occidantur  
aliquo in odium Christianorum, quia filij Christianorum sunt,  
licet aqua non sint baptizati, saluantur. Et rursus, cum mulier  
prægnans subit martyrium, & infans in vtero saluatur, & fit  
martyr, vt tenet Sylu. baptis. 1. §. 2. cum Palud.

Secundò, differunt ex parte effectus. Baptisimus enim aquae  
imprimat characterem, quem nullus alius baptisimus impri-  
mit, quamuis martyrium det aureolam, quae gloria quaedam  
accidentalis est. Praeterea baptisimus aquae, & sanguinis peccatum  
cum tota poena remittunt: at flaminis, non nisi iuxta quan-  
titatem.



nitatem doloris & contritionis pœnam remittit; culpam autem aufert, cum sufficiens est dolor, ut contritio sit: de qua postea dicemus in materia de pœnitentia.

*De solennitatibus Baptismi.*

CAPVT XXIII.

Quæ hætenus diximus, sunt ea, quæ ad necessitatem baptismi pertinent: ubi enim baptismus est, ibi necessariò forma, materia, minister, suscipiens, & effectus, saltem ad characterem suscipiendum, sunt. At verò quædam solennitates sunt in baptismo, quæ quamuis ad ipsius essentiam non pertineant, attamen obseruandæ sunt, adeo quòd, si aliquis est baptizatus propter necessitatem absque illis, si baptizatus vixerit, sunt tales solennitates adhibendæ, quamuis baptismus non sit repetendus. Quòd si necessitas baptismi non urgeat, nullus baptizatus debet absque illis: sunt enim ab Ecclesia institutæ propter reuerentiam Sacramenti, ne ita aridus & nudus ad tantum Sacramentum fieret accessus. Similiter ad excitandam fidelium deuotionem: maxime enim istæ solennitates animos ad deuotionem accendunt in Deum. Similiter propter eruditionem; quia maxime istis signis sensibilibus homines etiam ignorantes erudiuntur, & eorum significationes facilius percipiunt. Similiter etiam propter utilitatem; quia istæ solennitates, non carent magna virtute & efficacia erga animos, veluti dicemus.

Istæ solennitates diuiduntur in duas partes, quædam antecedunt baptismum, quædam ipsum sequuntur.

Quæ antecedunt sunt tres, Catechismus, Exorcismus, Unctio olei sancti.

Per Catechismum instruitur baptizandus circa fidem, quæ profiteri debet: hoc enim significat vocabulum. Est enim Catechismus instructio credendorum. Nec obstat, quòd baptizandus sit paruulus; nam sufficit, quòd per susceptores suos recipiat instructionem.

Altera dispositio est Exorcismus, quæ est abiuratio, & increpatio quædam maligni spiritus: arceatur enim, & expellitur potestas demonis, impediens salutem spiritualem baptizandi in quo sunt tres ceremoniæ.

Prima

Prima est exufflatio, qua expulsio dæmonis significatur, cum manus impositione, & signo crucis, ad præcludendam viam dæmoni, ne regrediatur.

Secunda, salis, in ore immissio, ad dænotandam sapientiam, qua opera Christiana debent esse condita.

Tertia est saliuæ, digito, auribus, & naribus appositæ, ad denotandam apertionem sensuum spiritualium. Exorcizare est Exorcistæ, sicut catechizare, est Lectoris; quâvis modo totum faciat Sacerdos, qui baptizat.

Tertia dispositio est, Vnctio olei sancti, quæ ad Exorcismum potest referri, quo oleo fit crux in scapulis, & pectore, ad significandum subiectionem diuinæ legi, & quod subiecto debet esse ex amore. Fit oleo, ad denotandum, quod debet parere pro fide suscepta; pugiles enim oleo inungebantur. Multæque particularitates in his interueniunt; quas prætermittimus, quia facile est cuilibet videre in ipso libro, ubi cæremoniæ illæ exercendæ traduntur.

Post baptismum sunt tres cæremoniæ.

Prima est, signatio sineipitis chrismate, quod significat duo, & ius ad gloriam futuram, & præparationem animæ Christiani ad reddendum rationem de ea, quæ in ipso est, fide. Est etiam vestis candida, quæ significat statum innocentie baptizati; & candela accensa in manu, significans lucentem fidem per opera, iuxta illud; *Sic luceat lux vestra operam, &c.*

Præter has, alia est solennitas. Debent enim esse susceptores, siue patrini, qui leuent baptizandum in sacro fonte, qui etiam sunt in catechismo: hi tamen ex Concil. Trid. de reformatione, sess. 24. cap. 2. non debent esse nisi vnus, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus, & vna, in quo etiam c. statuit. Quod si alij ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo pacto contrahant. Et attende, quod in dno non possunt esse, nisi sit alter masculus, & altera femina. hi autem non debent esse monachi, nec religiosi, nec non baptizati: nec pater, nec mater baptizandi, quamuis ad catechismum sufficerent tantum catechizati. Isti tenentur baptizatum circa fidem, & mores instruere, quamuis non sit tanta obligatio modo, cum parentes iam Christiani sunt. Hæc erant cum non ita solebant esse. Esset autem modo, si non essent tales parentes, vel esset aliquis defectus, vel negligentia in eis.

Vnum

Vnum tamen hic est aduertendum, quod inter istos susceptores, & baptizantem, & baptizatum contrahitur affinitas quaedam impediens matrimonium. Est triplex in hoc affinitas.

Prima est paternitas inter susceptores, & baptizatum, & inter hunc, & baptizantem.

Secunda est compaternitas inter susceptores, & patrem, & matrem baptizati; & inter baptizantem etiam cum matre & patre, licet non cum susceptoribus: & hoc non etiam seruetur post Concilium Tridentinum, Est tertia fraternitas inter filios, & filias susceptoris, & baptizatum, sed hæc fraternitas nunc ablata est per Concilium Tridentinum, eadem sess. & c. supra dicto. Ista affinitas est tanta, vt impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, quando in baptismo. Quod si est in solo catechismo, in quo non sequitur baptismus, quia, verbi gratia, fuit impeditus, vel ante factum, tunc contrahitur etiam affinitas, sed non vt dirimat contractum matrimonium, sed vt sit aliquod peccatum contrahere. Cum autem susceptor est non baptizatus, non contrahitur ista affinitas, licet contrahitur, quando baptizatur. De his tamen impedimentis latius dicendum est in materia de matrimonio. Atque ista de baptismo sufficiunt.

### De Confirmatione.

#### CAPVT XXIV.

Confirmatione secundum est Sacramentum post baptismum, adeo quod alia Sacramenta, maximè Sacramentum ordinis, non liceat isto non præcedente suscipere. Quamuis, si confertur ordo, teneat: non est enim sicut baptismus, qui nisi præcedat, prohibet ordinem, & alia Sacramenta, vt collata non teneant. Ea omnia, quæ in baptismo indagauimus, in Sacramento hoc oportet etiam indagare.

Primum est, materia: hæc autem est chrisma, nõ quodcumque, sed consecratum ab Episcopo consecrato, & non tantum electo: adeo quod, nisi talis sit consecratio, non censetur materia Sacramenti. Chrisma autem est vnguentum ex oleo oliuarum, & balsamo confectum. Est autem opus, vt sit nouum, illius anni, id est, consecratum eodem anno, aliàs sine necessitate confirmare chrismate præcedentis anni, peccatum est cõtra

præceptum canonicum, cap. si quis de alio, de consecrat. 2. 4. Quamuis teneret Confirmatio. Chrisma enim præcedens anni comburi debet, cum nouum consecratur. Solet esse quæuis controuersia, an balsamum sit necessarium, ita vt, qui solo oleo confirmaret, verè confirmaret. Omnes conueniunt esse necessarium necessitate præcepti, adeò quòd peccaret mortaliter, qui omitteret. An tamen sit necessarium necessitate Sacramenti, communis opinio tenet quòd sic: Caie. 3. par. in materia de Confirmatione, tenet oppositum, & Soto cum alijs sequitur. Et videtur huic fauere c. pastoralis, de Sacramentis non iterandis, vbi quidam confirmauit solo oleo, absque balsamo, & consultus Papa Innocentius III. dixit, quòd nihil iterandum erat, sed cautè supplendum, quòd incautè fuerat omissum. Si igitur non erat iterandum, ergo fuit ille verè confirmatus. Et quamuis opinio ista probabilis sit, tamen securè tenenda est opposita: nam Concilium Florentinum, cum dixisset, materiam esse necessariam ad Sacramenta, pro Confirmatione ponit, chrisma ex oleo, & balsamo confectum: & de ca. pastoralis, dici potest, quòd tunc nõ fuit Sacramentum, tamen, cum appositus fuit balsamus, perfectum fuit, quòd tunc imperfectum erat. Vnctio autem absque dubio est necessaria necessitate Sacramenti, licet Apostoli, ex diuina dispensatione, sola manuum impositione confirmabant. Huius Sacramenti forma est ista: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Quæ forma patitur illas mutationes, & eo modo, sicut diximus in forma baptismi. Minister est Episcopus, ex Concilio Florentino, & Trid. sess. 7. adeò quòd alius non posset conferre, quamuis ex Papali dispensatione etiam Sacerdos possit, sed non alius. Et sic dispensauit Gregor. dist. 95. can. peruenit. Debet autem Episcopus eos tantum, qui suæ diocesis sunt, confirmare, non alios; quamuis, si confirmet, factum teneat. Vnde nec Archiepiscopus debet suorum suffraganeorum subditos, quamuis eos uisitet, confirmare, 16. quæst. 1. cap. interdictimus. Suscipiens istud Sacramentum, est masculus, vel foemina, cuiusque ætatis; quamuis ex consuetudine sit non minoris ætatis septem annorum: saltem habeat usum rationis. Debet tamen necessario esse baptizatus, alias non tenet confirmatio. Debet etiam esse ieiunus, &, quando præcesserit peccatum mortale, confessus. Sed ista sunt secundum decentiam, non tamen sunt de necessitate: cum enim peccauerit, sufficit conti-

tio cum proposito confitendi, licet non confiteatur tunc. Effectus sunt tres.

Primus est character, quo insignitur tanquam miles Christi, ut aduersus inimici tentationes sit constans pro Christo: ob id insignitur, seu ungitur in fronte, ut denotetur, quod non debet rubescere Christi crucem, & militiam, sed coram toto mundo, si opus erit, confiteri. Solet autem linteo ligari caput, donec exsiccetur chrisma. Impingitur etiam ei alapa, tum, ut recorderetur suscepti Sacramenti, quod iterari non potest; tum, ut statim induatur Christi vestibus, quæ sunt alapæ, & iniuriæ: tum etiam, ut eius fortitudo probeatur: nam miles Christi statim constituitur. AEquum ergo est, ut experimentum aliquod fiat, an pro Christo sustineat pati.

Secundus est gratia, quæ ad hanc fortitudinem datur.

Tertius est affinitas, quæ oritur inter ipsum, & patrinum: qui vnus, vel duo esse possunt, sicut in baptismo. Non licet vt sit ille idem, qui fuit in baptismo, nisi ex necessitate aliqua. Debet autem patrinus esse confirmatus, aliàs non esset affinitas. Possunt autem omnes esse patrini, non tamen vir vxoris, nec e contra, nec fratres, vel sorores inter se. Confirmatio omni tempore etiam interdicto conferri potest, & in omni loco honesto, licet non sit ecclesia: quamuis conuenientius in ecclesia detur. Hoc autem sacramentum non est necessarium necessitate salutis: potest enim homo saluari absque confirmatione: tamen ipsam ex contemptu relinquere, peccatum est. Esset autem contemptus secundum aliquos, cum tempore confirmationis ap: o occurrente, & commoditate oblata suscipiendi, non susciperetur, maximè si probabilitas adsit non futuræ commoditatis.

### *De Eucharistia materia.*

#### CAPVT XXV.

**E**A, quæ in alijs sacramentis inquirenda proposuimus, in hoc etiam sanctissimo sacramento prosequi debemus.

Primo autem notare oportet, quamuis in eo duplex materia, & duplex forma appareat, vnicū tamen censerī debet sacramentum, tum ob vnitatem contenti sub illis speciebus, qui

unicus est Christus, tum ob vnitatem effectus, vna enim gratia communicatur: tum ob vnitatem finis: vniōnem enim Ecclesie per vnitatem significat. Est igitur materia huius sacramenti, panis, & vinum.

Vt igitur à pane incipiamus, primò debet esse panis ex frumento confectus, hinc fit, quòd nullus panis ex leguminibus possit esse materia huius sacramenti. Legumina vocantur, quæ non producuntur cum spica, vt fabæ, castaneæ, cicera, amygdala, & reliqua. Rursus nec ex quolibet grano spica producto potest esse materia, nisi sit frumentum, aut species frumentum: vnde ex hordeo, spelta, lolio, milio, auena, & similibus non est materia: potest tamen ex adureo esse, quod est frumentum habens grandia grana, & alba. Similiter ex siligine, quæ est frumentum selectum ex farro: ex amylo verò esse non potest. Debet igitur esse panis ex frumento.

Secundò, debet esse coctus: vnde massa cruda non potest esse materia.

Tertiò, debet ex aqua elementari esse confectus: vnde, si massa ex vino, aut lacte, aut alio liquore conficiatur, non est materia.

Quartò, debet esse purus, seu immixtus, id est, ex frumento solo, & aqua sola, absque mixtione alicuius liquoris, & alterius humidi. Absque mixtione etiam alterius speciei à frumento. Hoc autem intelligendum est, de notabili mixtione: nihil enim obstat, quòd cum frumento aliquot grana alterius speciei, & cum aqua aliquid alterius liquoris fuerit commixtum.

Quintò, debet esse azimus panis. id est absque fermento, in Ecclesia Latina: in Græca verò cum fermentato, adeo quòd peccaret mortaliter Latinus consecrans in fermentato, & Græcus consecrans in azimo, quia quisque consuetudinem suæ Ecclesie tenetur obseruare; tamen consecratio valida esset.

Sextò, debet esse non corruptus: si enim panis corruptus sit, vt speciem suam mutauerit, nullo modo materia esse potest. Hæc igitur est vna materia pars.

Altera est, vinum, ex quo debet confici sanguis Christi, sicut ex pane corpus. Vinum autem debet esse ex vuis. Nullum aliud, scilicet, ex pomis moris, vel radicibus, vel ex alijs quibuscumque potest esse materia.

Rursus, neque potest esse agresta, neque acetum, quia ista non sunt vinum. Potest tamen mustum esse materia, quamuis

recte

recenter esset ex aliquo racemo expressum: hoc etenim vinum est.

Rursus, siue vinum sit album, siue rubrum, potest esse materia. Aliæ species potus esse materia non possunt, vt ceruisia, lac, & alia similia. Cum vino est quantitas parua aquæ adhibenda, quæ simul est materia, siue conuersa sit in vinum, siue non. Peccaret mortaliter, qui scienter non apponeret aquam, & tamen consecratio valida est cum solo vino. Vtraque ista materia, cum consecratur, debet esse præsens Sacerdoti. Vnde non posset Sacerdos existens in classe consecrare vinum, quod est domi, vel in foro; quia forma sunt verba demonstratiua: neque potest demonstrari commodè, nisi quod est præsens, licet non sit opus, quòd sit materia coniuncta, fat est quòd sit in aliqua distantia, quæ moraliter præsentia dicitur.

Rursus hæc vtraque materia, nequaquam habet certam quantitatem, nisi ratione præsentia: posset enim consecrare Sacerdos multos cophinos panis, & vini dolium, si præsentia ista haberet, sicut etiam minimam vtriusque quantitatem. Sed absque ratione, & sine cõuenienti, immodicam quantitatem consecrare, graue esset sacrilegium.

Debet rursus materia vtraque esse certa, seu determinata: fit autem certa ex intentione cõsecrantis: cõsecrat enim quod intendit. Vnde, si extra calicem manent guttæ vini, sicut etiã in altari micæ panis, quamuis præsentia sint, non consecrantur, quia intentio Sacerdotis non tendit ad illa. Quod si aliquis haberet viginti hostias, & intenderet decem consecrare, non determinando illas inter alias, nulla esset cõsecrata, quia non est materia determinata. Notare tamen oportet, quòd quando aliquis consecrat hostias, putans se consecrare tot, & tamen sunt plures, vel pauciores, verè omnes consecrat, quia intentio est consecrandi quod ibi præsens est, & ad consecrandum posuit.

*De forma corporis, & sanguinis.*

CAPVT XXVI.

**F**orma consecrandi panis est ista: *Hoc est enim corpus meum.* Illa dictio, *Enim*, non est necessaria necessitate sacramenti: peccaret tamen, qui scienter omitteret. Vt autem dixi-

mus in materia de baptismo, non debet forma mutari, quæ-  
uis non omnis mutatio auferat sacramentum. Vnde sacra-  
mentum esset, licet aliquis diceret, *Istud est corpus meum*: ubi  
alio simili modo, in quo sensus non mutatur. Forma sanguis  
hæc est; *Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamen-  
ti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis, effundetur in remis-  
sionem peccatorum*. Omnia ista verba sunt de præcepto, quæ  
non etiam omnia de necessitate sacramenti; ista verò sunt de  
necessitate sacramenti, *Hic est calix sanguinis mei*, immo non  
solù isto modo prolata, sed etiam alio, puta, *Hic est sanguis meus  
vel hoc poculum, aut vas sanguinis mei*. Græci autem hæc videntur  
forma: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & pro  
multis effundetur in remissionem peccatorum*. At, quia Latine  
forma nobis est seruanda, oportet sensum explicemus. Dicitur,  
*Hic est calix sanguinis mei*: In quibus verbis est sensus per  
gram, id est, in hoc calice, sanguis meus est; vel etiam potest  
sensus, vt calix pro potu ipso sumatur, scilicet, hic est potus  
sanguinis mei. Dicitur etiam: *Hic est calix sanguinis, & non, hic est  
sanguis*, ad significandum, quòd sanguis continetur in specie  
bus vini. Et hoc, vt potetur, & sumatur. Statim sequitur, *Novi  
& æterni testamenti*. Aduerte, quòd Deus duplex pactum ini-  
uit cum homine.

Alterum fuit, in quo disposuit aduentum suum in carne, &  
hoc pepigit cum Patribus antiquis quod firmatum est sanguine,  
& occisione animalium figurantium mortem Christi: ob id tale  
pactum dictum est, testamentum; quia fuit dispositio certis-  
simam hæreditatis morte firmata testatoris, non quidem in re  
sed in figura.

Alterum pactum Deus iniuit de vita, & felicitate æterna  
danda est: & hoc pactum morte, & sanguine Christi con-  
firmatum est: diciturque testamentum nouum, vt distinguitur  
à priori: diciturque æternum, vt denotetur, quòd non alim-  
perueniet testamentum, & quòd res per ipsam notata hære-  
ditas sit æterna, Est igitur sensus, hic est sanguis, in quo dispo-  
sitiō hæreditatis æternæ hominibus confirmata, & stabilita est.  
Sequitur aliud verbum, *mysterium fidei*. Sanguis iste sic præ-  
sens est, vt sensibus dignosci, nec ratione comprehendi possit:  
opus est fide, qua teneatur. Est igitur fidei mysterium, id est,  
secretum fide tenendum. Statim sequitur efficacia, seu effe-  
ctus huius sanguinis, *qui pro vobis effundetur, & pro multis*. Pro  
omnibus quidem fuit sufficiens pretium; tamen, quia non oēs



ipso vii volunt, non omnibus prodest, ob id, *pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quoad efficaciam, qui tamen pro omnibus effusus est, quo ad sufficientiam.

*De efficacia verborum forma.*

CAPVT XXVII.

Sacramentum hoc non in vsu, seu materiae applicatione circa suscipientem, vt alia sacramenta, consistit, sed in efficacia verborum erga ipsam materiam, seu in ipsa consecratione ipsius materiae. Sunt enim illa verba, *Hoc est enim corpus meum*, ita efficacia, vt sint instrumenta transsubstantiandi substantiam panis in Christi verum corpus, ita vt, post prolationem, in illa hostia non sit panis vlla substantia, sed sola accidentia ipsius, scilicet, quantitas cum dolore, & sapore, odore primis qualitatibus, quae dicuntur species panis, sub quibus est verum corpus Christi praesens. Non quod accidentia sint in eo sustentata, non enim hoc ita est, quia accidentia illa miraculose per se sustentantur, sed quod sub illis latet corpus Christi, illic etiam miro modo continetur.

Idem etiam dicendum de verbis consecrationis vini, in quo non manet substantia, sed accidentia, sub quibus est sanguis verus Christi. At verò tam corpus, quam sanguis continentur in his speciebus, non quidem modo passibili: nam quavis istae speciebus calefiant, aut frigescant, vel scindantur, non ob id Christus ista talia patitur. Rursus continetur Christus, non per modum dimensionis: non enim extensus est, vt pars in parte sit, sed in qualibet specierum parte est totus: ob id, tantum sumit, qui partem hostie, quantum qui totam recipit: nec desinit esse in caelo, licet praesens sit in hostia: nec, licet sit in vna, ob id relinquit aliam, sed simul omnibus adest. Quae omnia fide tenenda sunt, quia superant humanum captum, sed credere magnum est meritum fidelium. Norandum tamen est, quod sub speciebus panis, non solum corpus Christi, sed eius sanguis, anima, & diuinitas, immò tota Trinitas; sed vnum quidem, pura corpus, virtute verborum, & consecrationis, alia verò ratione concomitantia; quia corpus cum anima, & sanguine modo est. Similiter sub vini speciebus continetur sanguis, corpus anima, diuinitas, omnia denique Christi; sed solus sanguis

virtute consecrationis, reliqua ratione concomitantis. Vnde, si solam consecrationem consideremus, corpus in vno, sanguis in altero continetur, in quo mors Christi representatur, in qua sanguis à corpore effusus est. Vnde fit, quòd si in triduo, in quo Christus est mortuus, aliquis consecrasset, vel consecrare intendisset, tunc sub speciebus panis, corpus ab ipso anima contentum fuisset, & sanguis absque corpore; vtrumque tamen diuinitati coniunctum: non enim à diuinitate dimissum est, quod assumptum est.

*De ministro, & suscipiente.*

CAPVT XXVIII.

**I**n isto sacramento duo considerari possunt. Vnum est, consecratio: alterum est usus, & collatio ipsius sacramenti. Vnde duo sunt ministri, alter est consecrationis, alter collationis. Minister consecrationis, sacerdos solus est adeò quòd nullus, non habens characterem sacerdotalem, potest consecrare corpus, & sanguinem. De hoc satis diximus in principio huius secundi libri. Minister collationis est etiam Sacerdos, non quicumque, sed cui ex officio incumbit, vel ex commissione, vel aliquo priuilegio, adeò quòd nulli licet absque licentia Eucharistiam sumere, etiam extra tempus præcepti à quouis Sacerdote, nisi in necessitate, vel quando pro certo habebitur, quòd Curatus concederet facultatem sumendi. Olim, cum laici solebant sub vtraque specie communicare, Sacerdos solus ministrabat corpus, Diaconus verò sanguinem, quia hic non tangit sacramentum, sed tantum calicem: iam verò ille modus non conceditur; propterea Diaconus non potest ministrare; corpus enim nõ valet conferre. At verò, quòd necessitas esset, vt si quis infirmatur, & Sacerdos nõ adest, vel nõ potest, licet Diacono soli etiã corpus ministrare. Suscipientes aut hoc sacramentũ duo etiam sunt. Vnus est suscipiens simul, & consecrans; talis est Sacerdos, cum celebrat, vel Domino sacrificat, & iste sacramentum sub vtraque specie necessario debet suscipere, vt completum sit sacrificium: de quo multa superius diximus, propter quod ab eis modo superfedemus. Alter est suscipiens, qui non consecrat, sed tantum recipit sacramentũ, & iste potest esse Sacerdos, & laicus. Cum Sacerdos nimirum nõ celebrando cõmunicat, talis suscipiens non debet

susci-

suscipere sacramentum sub vtraque specie, sed tantum sub specie panis: nec ob id sacramentum integrum non recipit: nam totus Christus in qualibet specie continetur: nec maior est effectus sacramenti sumpti sub vtraque specie, quam sub vna: Sacerdos enim necessario sub vtraque recipit, quia integrum debet esse sacrificium, in quo mors Christi continetur, quæ sub illa vtraque specie repræsentatur. Fuit quidem olim vsus talis, sub vtraque specie communicandi, sed iam ab Ecclesia iustissima causa abolitus est, cum non sit de iure diuino, nisi tantum communicare corpus, & sanguinem Domini, sed non sub vtraque specie: nam in vna, vt dixi, totum continetur.

Fuit igitur prima causa, ob periculum irreuerentiæ huius sacramenti, quia facile, & frequenter accidere poterat sanguinis subuersio.

Secunda, quia multi non possunt sumere speciem vini absque prouocatione ad vomitum: huiusmodi enim multæ feminæ, multi etiam iuuenes sunt.

Tertia, ad repellendam hæresim Nestorianorum, qui negabant totum Christum in qualibet specie contineri, sed corpus tantum in specie panis, sanguinem totum in specie vini, quod quidem falsum est, vt diximus. Debet ergo suscipiens, & non consecrans, sacramentum hoc sub specie panis totum recipere.

Sunt tamen quædam in suscipiente obseruandæ conditiones.

Prima est, debet esse adultus: nam infantibus quidem posset dari sacramentum hoc, sed tantum ex Ecclesiæ præcepto non debet dari nisi adultis, & iam maturioris vsus rationis: non enim statim post septem annos hoc sacramentum suscipere debent pueri.

Secundo, non sat est, adultos esse, sed rationis vsum habere oportet actu. Vnde, amentes non possunt recipere, nec phrenetici, nisi aliquando vsum rationis habent, & tunc, hoc suscipere voluerunt.

Tertia est, quod debent esse ieiuni: nam mortale peccatum est recipere sacramentum hoc post cibum, vel potum aliquem, nisi tempore alicuius infirmitatis periculosa, tunc enim potest post prandium etiam communicari, vel quando esset præceptum communicandi, & infirmus non posset absque graui nocumento omittere potionem, tunc posset sumere, & post communicare, cum portio non potest postponi.

Quarta, debet esse confessus de commissis mortalibus post proximam confessionem: nec enim debet accedere cum conscientia peccati mortalis: nec sufficit sola contritio cum proposito confitendi, nisi in aliqua necessitate urgente, ut mori aut temporis implendi præcepti, & casu aliquo nullus addeat confessarius, tunc sufficeret contritio cum voto confessionis faciendæ, habita occasione. De hoc diximus supra.

Quinta, debent accedere absq; peccati venialis actu, ut non sit actualiter in aliquo veniali. Quamvis ista dispositio non impediat effectum sacramenti habitualement, scilicet, habitum gratiæ, tamen impedit actualem, scilicet, charitatis fervorem: unde, qui intenderet actu post communionem facere aliquod, quod est culpa venialis, gratiam sacramenti non perdit, fervorem tamen charitatis non recipit. Si tamen accederet cum actu peccati mortalis, non solum nihil recipit, sed mortaliter peccat, & gravissimè in tali susceptione: propterea dicitur sacramentum hoc, *mors esse malis, vita bonis*. Hinc fit, quod, qui sunt in aliquo notorio peccato, quorum pœnitentia non constat, non solum non debent accedere communioni, sed accedere repelli debent, quales sunt hi, qui in statu peccati sunt, ut meretrices publicæ, vsurarij, histriones, concubinarij notorij, & similes, quibus est communicatio neganda, nisi pœniteant. Apœnitentia existente, communioni sunt admittendi, non solum hi, sed etiam qui publice iustitia castigandi sunt, ut suspendendi, vel decollandi, vel alio quovis modo occidendi, quamvis fuerint hæretici, & postea resipuerint; licet in aliquibus locis hoc non sit in usu: sed profecto melius est, ut communionem recipiant aliquo spatio temporis ante mortem. Nec etiam est neganda communicatio energumenis, seu atreptiis, quamvis actu vexentur, nisi constiterit, ob aliquod grave peccatum, sic a Domino puniri; secus enim communioni admittendi sunt, cum possint esse in gratia, & maiori, quam multi alij, qui non sic vexantur à malo spiritu.

*De modis suscipiendi Sacramentum, & eius effectus.*

CAPVT XXVI.

**S**acramentum hoc multiplex est suscipiendi modus. Primus est tantum in figura, quomodo patres illi antiqui, qui sumebant per sacrificia illa, quibus ministerium

hoc

hoc representabatur, & maxime per illud manna, quod de celo pluebat.

Alter modus est, verè, & non in figura tantum, sed spiritualiter tantum, quo modo sumunt, qui fide tenent sub illis speciebus verum Christi corpus esse, & simul ipsum recipiendi ardent desiderio, quamuis re ipsa non sumant. Et hic modus est multum utilis.

Tertius modus est, sacramentaliter tantum, quando recipitur Christus in sacramento, tamen, ob indebitam dispositionem recipientis, effectus sacramenti non consequitur.

Quartus est, sacramentaliter, & spiritualiter simul, cum sumuntur species, & effectus sacramenti recipitur. Multi enim, & mirabiles sunt sacramenti huius effectus, è quibus, quatuor solum recensabo.

Primus est, gratia cum donis & virtutibus, qua quidem gratia remittitur peccatum mortale, si accedens forte, adhuc per confessionem, non fuerit consecutus eam defectu suo; vt, si nõ sufficiente contritione, seu attritione ad eam accesserat; post confessionem verò melius disponitur, adhuc tamen non sufficienter ad gratiam, nisi virtute sacramenti, tunc hoc sacramentum primam gratiam confert. Similiter, si necessitate urgente non potuit confiteri, sed communionem recepit, cum tamen attritus tantum esset, putans se contritum. Etiam alijs in casibus potest gratiam conferre, qua mortale dimittatur. Quod si accedens in gratia sit, recipit augmentum. Cum gratia etiam partem pœnæ remittit, quamuis non totam, nisi iuxta dispositionem accedentis.

Secundus est, spiritualis refectio, quæ consistit in quodam charitatis feruore, & maiori circa bene operandum conatu, & deliberatione, simul etiam in interna animæ delectatione.

Tertius, præseruatio à peccato: hoc enim sacramentum multum iuuat animam, ne succumbat tentationibus, & peccatorum periculis.

Quartus, quia multum carnis concupiscentiam ac sômitem extinguit. Ob quæ multum esse debet Christiano assidua huius sacramenti susceptio. Vbi enim est continua indigentia, ibi continuum desideratur auxilium: vinci enim, & consumi opus est, nisi frequenti opere subueniatur, id quod, non cessante inimici impulsionem, concutitur. Aduertendum tamen vnum hic est, cum Christi corpus in sacramento recipitur,

tandiu

tamdiu eius præsentiam intra nos durare, quamdiu speculæ calore naturali non consumuntur: consumptis enim, quod fortè dimidia quarta hæc fit) præsentia non est; effectus tamen ex ipsius præsentia procedentes multum permanent, nisi nostra negligentia impediat, aut culpa expellat, & destruat.

*De varijs nominibus huius Sacramenti.*

CAPVT XXX.

**S**acramentum hoc, propter suam excellentiam, varia fortitur nomina: est enim hoc dignissimum omnium sacramentorum, quia verè in eo Christus continetur. Dicitur autem Eucharistia, quasi bona gratia, quia Christum continet, qui fuit auctor nobis gratiæ; vel quasi gratiarum actio, quia est sacramentum, propter quod indefinenter Christo gratias agere, & habere tenemur. Dicitur sacrificium, seu hostia, quia Christum continet, qui per mortem se Patri pro peccato hostiam obtulit. Dicitur viaticum, quia cibus est spiritualis, quo confortatur animus, donec perueniat ad montem Dei, Oreb, id est, cœlestem patriam. Dicitur etiam communio, & Græce Synaxis, quia sacramentum est, in quo Christiani vniuntur. Ut enim magna est vnio corporum, vno cibo corporali vesci, non minor, sed longè maior est spirituum vnio, vno, ac rãto vesci cibo spirituali. Dicitur etiam sanctissimum Sacramentum, per excellentiam, quam habet ad reliqua sacramenta omnia. Multa quidem dici possunt de eo, tamen pro introductione præsentis sufficiant ista simul cum his, quæ in principio huius libri diximus, & etiam in sequenti libro tertio dicemus.

*Secundi Libri finis.*